

SALMONII Macrini Iulio-

DVNEN. CVBICVLARII Regii, hymnorum libri sex, Ad Io. Bellaiũ, S.R.E. Cardinalem ampliss.












CVM PRIVILEGIO REGIS.


PARISIIS.
Ex officina Roberti Stephani.
M. D. XXXVII.





Salmonii Macrini Ivliodvnen.
Hymnorum liber primus.

Ad Io. Bellaium S. R. E. Cardinalem amplifs.



Vatis dexter ades carminibus tui,
Nec cantus citharæ despice Lesbiæ
Bellai, proauis edite Martiis:
Quorum gloria erit clara perenniter
Per fastos memores, atque diaria
Francorum, à Capeto tempus ad hoc Duce.
Qui ductum serie continua genus
Augentes titulis splendidioribus:
Rem semper patriam militiæ ac domi
Prouexere, boni consilio, manu,
Fido Regibus & pectore Gallicis.
Siquando inciderent dura negotia,
Si turbata nigro tempora nubilo,
Hostilisque metus incuteret furor,
Aduersum oppositæ tela Britanniæ,
Funestisque leuem seditionibus,
Et rapto solitam viuere Flandriam,
Bellaii fuerant murus aheneus.
A bello inde tuis ducta vocabula
Præclaris animis conuenientia.
At tu vincis auos optime Pontifex,
(Cui possem ô vtinam maxime dicere,
Per te vt relligio reddita pristinæ

Luci,antiquum iterum surgeret in decus)
Nam regni dubiis hisce tumultibus,
Quos flagrans Caroli Cæsaris excitat
In Francos odiúmque & violentia,
Et vindex animi insania liuidi,
Ostendis procerem te memorabilem,
Cedentem eximio robore nemini,
Terrorum & iaculis impenetrabilem.
Dignos Rex ideo noscere callidus
Rex ille inquam amor & deliciæ omnium,
Emuncta olfaciens nare sagaciter,
Te fratrémque,duo lucida sydera,
Conferri geminis digna Laconibus,
Inuictos rabie prorsus ab hostica,&
Tutandis patriæ rebus idoneos
Delegit,quibus vrgentia crederet,
Et partem imperii præcipuam sui.
Illi præcipiens arma Sueuiæ
Excire,atque suis Saxona sedibus,
Francis auxilium ferret vt ilico.
Commendans fidei Parisios tuæ,
Vrbésque Atrebati finitimas fero,
Et constructa solo mœnia Belgico,
Fixis limitibus nos dirimentia
A Flandri assiduo militis impetu.
Sed quò Musa ruis?munia quid Ducum
Vix æquanda senis Minciadæ tuba,
Vix & grandisonis Meonii modis,
Aspiras gracili dicere barbito,
Culpáque exigui deterere ingeni?
Ad pensum potius Musa redi tuum,
Atque incœpta tibi perfice stamina.
Neruis blanda agedum carmina diuide,
Quæ,post bella,mei Langiadæ audiant
Quærentes vacuis auribus otia.

Precationis dominicæ paraphrasis.

O parens cuius domus est Olympus
Aureis pulchrè variatus astris,
Sit tuum nomen (velut est) per æui
Secula sanctum.
Et tuum regnum veniat, voluntas
Et tua in terris vt in axe fiat.
Hoc die nobis ἐπιούσιόνque
Suffice panem.
Sicque condones malefacta nobis,
Nos vt offensas aliis solemus
Sponte condonare, animóque cunctis
Parcere leni.
Nêve tentari Pater alme supra
Ferre quàm possint patiare vires,
A dolo sed nos stygii tuere
Iugiter hostis.

Salutationis Angelicæ paraphrasis.

Salue grata patri puella summo,
Qui mentem irradians tuam pudicam
Semper constituit manere tecum.
Inter fœmina fœminas beata.
Est fructúsque tuæ beatus alui,
Cæli diuitiæ solíque, CHRISTVS.

Ad Renatum Bellaium Pontificem Cœnomanorum. De Martyribus.

Fabulam vitæ peragam prius quàm,
Hactenus curis mihi quæ molestis
Acta ad extremum prope iam videtur
Vergere finem:
Aridam rugæ faciem seniles
Quippe deformant, acies hebescit

Luminum, rari quoque glabra circum
Tempora cani:
Sed tamen vitæ peragam prius quàm
Fabulam, morbis resoluta membra
Marceant, velox tenues remigret
Sensus in auras:
Mens beatorum celebres coronas
Martyrum versu memorare Præsul
Optime, & partos sine non(quod aiunt)
Puluere honores.
Nanque constantem quoties eorum
Rebus in duris animum recordor,
Et tenax veri studium quieta
Mente voluto:
Prorsus admiror, tacitúsque mecum hæc
Mussito, O sanctæ fidei potens vis!
Robur inuictum, nec amarulenta
Morte domandum!
Eia age insignes pugiles Thalia
Ad poli arguto ferat astra plectro,
His triumphales lyra septineruis
Concinat hymnos.
Res quibus largis opibus redundat
Affatim multo cumulata censu,
Quósque fortunæ liquidus fauentis
Riuus inaurat:
Templa sueuerunt bene marmorata
Ponere, atque aras Pariis columnis,
Et sacerdotes reditu quotannis
Pascere certo:
Aureas diuis statuas hic offert,
Hic Apellæas tabulas: at ille
Purpuram, gemmas, holosericáve
Tegmina vestis.
Ipse nec byssi, neque diues auri,

Quod ſolo furax Arimaſpus Indo
Surripit curſu fugiens auaros
Alite gryphes.
Itala teſtes meditor Camœna
Inclytos, quorum generoſa virtus,
Et fides nullis ſuperata pœnis
Attigit axem.
Hoc feram voti reus ipſe carmen,
Si modo aſpirans faueat poetæ,
Afflet à ſummo bonus & canentem
CHRISTVS Olympo.
Poſſe me non vt recitare cunctos
Arbitrer, qui pro Domino cruorem
Ante fudere, & peperere vitam
Morte perennem:
Quippe cæſorum numerare turmas
Sit potis nemo, cuneóſque denſos
Cum cateruatim ruerent ad ipſa
Funera læti.
At velut flagrans rubus ille quondam,
Quem ſacer Moſes rutilo micantem
Igne inabſumptum tamen æſtuoſis
Vidit arenis,
Damna flammarum nihil vlla ſenſit:
Sic tyrannorum rabie impetitos
Martyres nullis aboleuit ira
Hoſtica telis.
Spiſſa lignator nemora, & comantes
Arborum frondes ſimul ac cecidit,
Et ſua ſaltus virides bipennis
Exuit vmbra:
Protinus multo mage, lætiúſque ab
Stirpibus trunci fruticantur imis,
Ac repubeſcit modo cæſa ramis
Sylua nouellis.
Quo pii plures fuerant perempti

Præſidum immani feritate,plures
Hoc reſurgebant,fideíque ſanctæ
Dogma ſerebant.
Cæterum quorum mihi palma nota eſt,
Et fides conſtans pietáſque clara,
Hiſce pæanas lyrico iuuabit
Dicere cantu.
Nec modus vati fuerit canendi
Principem CHRISTVM,famulóſque CHRISTI,
Flatilis donec vegetos fouebit
Spiritus artus.

Ad Annam Monmorantium Franciſci Regis Archiœconomum illuſtriſs.

Segni vita quibus ducitur otio,
Res tractare iuuat quos neque ſplendidas
Vt præluſtre decus claráque poſteræ
Genti nomina inhæreant,
Illis credibile eſt carmina deſpici,
Vocalémque lyram,& mella poetica,
De fama eximia ſollicitis nihil
Victuris & honoribus.
At qui bella gerunt Anna vir inclyte,
Et cauſa patriæ cuncta pericula
Contemnunt,auidi fundere ſanguinem
Si res publica poſtulet:
Cum vatum eloquium ſuauiloquentium
Aſpernantur,opes atque Heliconias,
Sunt hoſtes ſibimet,præmia & abnuunt
Rerum digna celebrium.
Vatum muneribus Rex Macedûm ferox
Auguſtúſque potens,eius & aſſecla
Mecœnas volitant ora per omnium
Facunda aſſidue virûm.
Nec doctis numeris Anna ſilebere

Nostrorum olim hominum, militiæ ac domi
Rector præcipuus consilio, manu,
Et rege alter ab optimo.
Nam ne Cæsareis nuper adobruta
Esset militibus Gallia, proprii
Obiectu prohibes corporis, & tuis
Hostes proteris artibus.

Ad Antonium Heroicum.

Magno Mantua quàm Marone gaudet,
Smyrnæíque suo tument Homero,
Nostra Heroice tam tuis magísque
Gaudet Gallia dulcibus Camœnis,
Ac cælo caput erigit superbum.
Nam quo tempore sermo graius atque
Perfecta latius vigebat arte,
Illi carmine floruere terso.
Tu, cum Gallica lingua adhuc iaceret,
Inculta & numeris suis careret,
Iam cultissimus eruditione
Magni flumine de Platonis hausta,
Et sanctis veterum libris Sophorum,
Iam purissimus elocutione,
Sensu argutus, & arte singularis,
Gallos carminibus tuis beasti.
Nostra & secula seculis vetustis
AEquasti eximiæ lepore Musæ.
Quicquid proinde tua excitata laude
Olim postera promouebit ætas,
Adiungétque phrasi æmulatione,
Acceptum id referat tibi necesse est
Authori, archetypo, artis & magistro.

De CHRISTO & eius Martyribus.

Martyrum Regem, dominúmque CHRISTVM
Rite solenni celebremus hymno,
Debitæ laudis melicum auspicantes
Carmen ab illo.
Fonte lustrali maduere quotquot,
Nuncupent eccui sua scripta vates
Iustius, quàm qui proprio gubernat
Omnia nutu?
Qui rudes fandi, solitósque parua
Antè piscari rate, multilingues
Reddidit, misso per inane sancti
Flaminis igne?
Ille cælestis moderator aulæ,
Et coæterni patris alma proles,
Gentis humanæ Maria in salutem
Virgine natus.
Dum voluntati patris obsecundat,
Affici est flagris colaphísque passus,
Inque crudelis stadii cucurrit
Solus arena.
Vt typum pœnæ reuocemus omnis,
Asperos necnon veterum labores,
Quos Anaxarchus, patiénsque Zeno
Pertulit olim:
Quos reus vani Meliti, educatus
Cûmque Pellæo studiis eisdem,
Libera Regem nimis ausus ipsum
Carpere lingua:
Quicquid infœlix Acragas nouauit
Antè pœnarum cruciatuûmque,
Quicquid AEgyptus, feritásque Thracis
Dira tyranni:
AEnéique atrox vituli repertor,

Et ferus Scyron, Scynis, & Procrustes,
Bebrycis quicquid laniena, necnon
Regis Hetrusci:
Non tamen pœnis fuerint IESV
Digna conferri, tragicôque letho
Quod crucis duræ tolerauit alto
Stipite fixus.
Ferreis eheu manus hæc & illa
Figitur clauis, vtraque atque planta,
Miles hastili latus euibrato
Haurit apertum.
Morte famosa licet interemptum
Hunc ducem cœtus celebres sequuntur,
Antè qui vitæ fragili tulerunt
Præmia cæli.
Gentium quos nunc veneratur orbis
Præsides, ipsis & honora templa
Excitat, multus vocat & patronos
Rebus in arctis.
Quæ sit at CHRISTI liquet inde virtus,
Quòd pie nemo precibus peractis
Spe sua falsus redit, aut petiti
Muneris expers:
Nunc & Heroum & veterum deorum
Iactet inductos thyasos vetustas,
Cúmque sacratas epulo statísque
Ritibus aras.
Ecquis Eurotæ precor ad fluenta
Inuocans votis geminos Laconas,
Compos optati fuit, aut salutem
Rettulit æger?
Cærulæ frustra superator hydræ
Thyrsiger frustra colitur Thyoneus,
Cuíque contorto viret inuoluta
Virga dracone.
Iure præfertur numerosus illis

Martyr,& festis memoratur hymnis,
Próque adoratur Ioue summus omni
Christus ab orbe.
Hic enim vitæ dator & salutis,
Curat & terras & in axe regnat,
Torquet æterno sed Auernus illum
Luridus igni.
Omnium princeps opiféxque rerum
Nate ab intacta genitrice, sit laus
Et tibi & patri sine fine, sancto
Spirituíque.

CHRISTVM, non Apollinem aut Musas à poetis inuocandas.

Cultorem bifidi montis Apollinem,
Cyrrhæi tripodes præside quo tument,
Grynæúmque nemus, canáque ninguibus
Hybernis Lyciæ iuga:
Summissis alii mentibus inuocent
Dicturi cithara carmen eburnea,
Nec voto immemores prætereant suo
Castum Mnemosynes chorum.
Me quem tinxit aqua lotio mystica
Paruum, Euangelii fruge salubriter
Pauit sanctificus Spiritus, & piis
Alma Ecclesia vocibus:
Nugas hasce leues spernere oporteat,
Et CHRISTI auxilio fidere solius,
Qui florens Helicon, Castalius latex,
Et Nympha Aonis est mihi.
Hic linguæ laqueos prorsus inutilis
Mutis dissoluit, plectráque reddidit
Sæpe ori tacito persona, vocis &
Vsu ornauit idoneo.

Huius præsidiis omnipotentibus
  Confisus, dubitem (quanquam hyemet mare
  Sæuum) vela dare? & quamlibet horridis
  Nauim credere fluctibus?
In nostra ergo polo pectora ab arduo
  Illabens, opicam barbariem exigat,
  Amandétque foras, & superæ expleat
  Vbertim sophiæ bonis.
Tunc mentem æthereo numine percitus,
  Non mortale loquens, non hominem sonans,
  Partum virgineum fabor, & aurei
  Incunabula Principis.
Pastores ouium fabor olympico
  Persuasos monitu posthabito grege
  Festinasse, nouam pignore cum sacro
  Inuisisse puerperam.
Dicam purpureos sydere satrapas
  Authore auriferis à regionibus
  Accessisse, recens vt puero edito
  Offerrent tria munera.
De rapti solii sollicitum statu
  Herodem pueros cæde nefaria
  Mactasse innocuos in finibus piis
  Matrum torua frementium.
Addetúrque operi dura catastrophe
  Vitæ actæ domino puriter, vt trabe
  Alta pendulus ob flagitia omnium
  Se patri dedit hostiam.
Hæc testudineæ voce canens lyræ,
  Vates dignus ero quem schola publica
  Et cirrhata cohors assidue terat,
  Quem ciues oculis ferant.

Deos antiquos esse eliminandos.

Prisci poetæ carminibus Deos
Sic extulerunt, sic memorabiles
Gestas eorum res loquaci
Futiliter poliere versu:
Fucis loquendi vt lector inanibus
Plerunque captus, vera ea crederet,
Sermone quæ culto fuissent
Et lepidis celebrata Musis.
Hinc illa fraudum vena scaturiit,
Qua multitudo maxima gentium
Epota, consensu ruebant
Vnanimi exitium in profundum.
Nam fabulosæ suauiloquentiæ,
Atræ latentes mortis aculeos,
Lethalia & furti venena
Vinxerat addiderátque dæmon:
Vt captus illis blanditiis homo
Syrene tanquam mortifera, libens
Seruiret insanis deorum
Ritibus æthereo relicto:
Mentem nec vnquam tolleret altius
Ad cogitandum de domino poli
Authore rerúmque omnium, quas
Imperio regit vnus æquo.
At nos corusca lampade cælitus
Illuminati, & vocibus entheis
Ad dogma diuinum vocati,
Prole Dei erudiente mundum.
Afflauit & quos spiritus efficax,
AEternitatis viuáque veritas,
Sempérne cessandum putamus
De domino, nec habenda verba?
Illi ô sacremus quicquid opusculi est,

Quod Musa dictat, quicquid & ingeni
Vis parua molitur, piſque
Primitias voueamus oris.
Illo extimeſcendum eſt nihil auſpice,
Illi referri conuenit omnia
Quæcunque ſtellanti ſub axe
Terrigenis benefacta fiunt.
Quando boni fons non aliunde ſit,
Tantum nec vnquam quis ſibi vendicet,
Vt credat authorem bonarum
Se nimium temere eſſe rerum.
Sponte ergo faſces ſubdimus ingeni
Regi deorum, plectráque Teia
Cum barbito extentíſque chordis
Offerimus reuerenter vni.

De diuo Stephano protomartyre.

Quòd Deum cæli Stephanus negarit
In manu factis habitare templis,
Dixerit CHRISTVM populo ſalutis
Eſſe datorem:
Dentibus frendet ſynagoga preſſis,
Nec poteſt ſeſe tolerare carpi
Sanguinem ob fuſum cruce fixi in alta
Diriter agni.
Proinde veſano rapit vrbis extra
Impetu muros iuuenem necandum:
Clara diuina facies at illi
Luce refulſit.
Cuncta miſcentur trepido tumultu,
Veſte detracta, manibúſque vinctis
Siſtitur conſtans pugil in patentis
AEquore campi.
Turbidis non ſic vbi forte nimbis

Mota tempeſtas, ruit axe hiulco
Grando, & annoſas lapidat fragoſis
Ictibus ornos.
Vt volant crebro glomerata iactu
Saxa in inſontem iuuenem ſupino
Ore cernentem ſuperos, & alti
Cærula cæli:
Tunc nitens olli eſt patefactus æther,
Tunc patris CHRISTVM lateri aſſidentem,
Angelis ſeptum, rutilóque vidit
Lumine amictum.
Dúmque crebreſcit lapidum actus imber,
Sæuit hoſtilis magis ira turbæ
Ac magis, rubri lacero cruores
Corpore manant.
Optimi non tunc operum magiſtri
Immemor, flexis genibus rogauit
Sontium vellet Deus vt furori
Parcere cæco.
O inauditæ bonitatis actum!
O virum nullis ſatis efferendum
Laudibus! qui pro moriens cruentis
Hoſtibus oret!
Obrutus denſo ſilicum rotatu
Martyrum princeps, pietatis ergô
Reddidit vitam domino, & beata
Morte quieuit.
Diue victrici decorate palma
Primus, irruptæ fideíque præſtans,
Me tibi hoc plectrum placido mouentem
Reſpice vultu.
Sit meæ portus placidus ſenectæ,
Otium fœlix, requiéſque mentis,
Tractet vt ſemper citharam, & ſonantes
Dextera chordas.

Virginis Mariæ apoſtrophe.

Inuita inuidia, hoſtiũmque linguis
Sum virgo intemerata, eróque ſemper:
Et lac impoſuit meæ mamillæ
Toto quo nec in orbe pulchriorem
Viderunt oculi prius puellum.

Sic olim placui Deo deorum,
Ad me accedere non ſit vt grauatus
E ſumma omnipatentis arce cæli,
Inuita inuidia.
Proles ille mea eſt, parens, Deũſque,
Illi nata ego, mater & miniſtra,
Et quam (quod mihi pluris æſtimandum eſt)
Delectam ante alias amauit omnes,
Vbertímque opibus ſuis beauit,
Inuita inuidia.

Preces matutinæ ad Dominum CHRISTVM.

Mane in te mediter ſupreme Princeps,
Laudes mane tibi ſacras rependam,
Adiutor quoniam meus fuiſti.
Caſta & cui potius vouebo vota?
Aut quem iuſtius ore nuncupabo,
Quàm te Chriſte meum patrem, Deũmque,
Cuſtodem, Dominum, ducem, magiſtrum, &
(Quæ clementia inuſitata) fratrem?
Cuius munere viuimus, valemus,
Et cæli liquidis fouemur auris,
Cuius munere reſtituta vita eſt
Primi perdita noxia parentis.
Cuius munere apertus eſt Olympus,
Fracta & tartareæ tyrannis aulæ.
Qui claro aſſereres vt ipſe cælo

Humanum genus, haud grauatus alta
Pendere es cruce, ſanguinémque viuum
Noſtris fundere ſordibus lauandis.
Mutos ergo alii Deos adorent,
Et terram digitis imaginatam
Quæ ſenſu caret, éſtque ſurda & infans,
Sint illi licet ora, ſint & aures
Fictæ ſignificis manu periti.
Te vero Dominum, Deúmque verum,
Prolémque vnigenam parentis almi
Ipſo cum patre, Spiritúque ſancto,
Quæs par, atque eadem tribus poteſtas
Tellus rite colens adoret omnis,
Omnes aſſidue ferant fideles
Laudum perpete iubilatione.

De promulgata Euangelii luce.

Per ſeculorum ſecula perpetim
  Rex CHRISTE ſit laus & tibi gloria
  Virtúſque, qui mundum beatæ
  Fruge foues reparáſque vitæ.
Qui luminoſis ſol velut ignibus
  Antiqua pellis nubila gentium,
  Pro nocte auernali diémque
  Reſtituis fidei ſerenum.
Iam non Deorum putida vanitas
  Cæſæ coletur ſanguine victimæ,
  Nec thuris Eoi vaporos
  Muta bibent ſimulacra fumos.
Iam diſciplinis paſta ſalubribus
  Vocum tuarum Græcia, fabulas
  Leues poetarum reliquit,
  Et veterum furias Sophorum.
Nanque eſſe poſſit quid furioſius
  Feciſſe cæſis quàm ſacra liberis
  Non raro, & humano litaſſe

Spiritibus Stygiis cruore?
Vt conticescam quæ Dionysiis
Indigna dictu, quæve Cotyttiis
Assueta patrari per omnes
Dedecorûm, scelerûmque formas.
Nunc omnis ætas deterioribus
Spretis anhelat pectore feruido
Ad iussa patris sempiterni,
Ingenuos sequitûrque mores.
Posthac nefandas non meditabitur
Ceu fecit olim barbara nuptias
Persis, nec incesto parentem
Concubitu soboles inibit:
Falsis nec acti relligionibus
Chara immolabunt pignora iam Scythæ,
Vescentur humanis nec olim
Carnibus indomiti Geloni.
Non Bebryces, non Massagetæ senum
Annos suorum præcipitant: neque
Mensa peremptorum cruenta
Semineces epulantur artus.
Turbæ voraci sed neque Caspii
AEtate fessos obiiciunt canum,
Exponit Hircanus nec atrox
Alitibus rapidis eosdem.
Vis ô supernæ mira potentiæ!
Euangeliíque ô gratia amabilis!
Cessere per quam tot cruenti
Luce noua veniente ritus!
Quos CHRISTE psalmos optime maxime
Cantabit orbis, quæve epigrammata
Condigna, vel quas actiones
Persoluet tibi gratiarum?
Non si diebus continuet dies,
In laude sacra noctibus additis,

Mortalis immortalem vti par
Indigitet, celebrétque digne.
Contentus atqui(quæ tua lenitas)
Duntaxat ipſo pectore, & intimo
Affectu, anhelantum placere
Vota probas, fragiléſque nixus.

Ad Deum patrem preces veſpertinæ.

Hanc commendo animam tibi atque vitam
O mitis Deus, & benigne cuſtos:
Affuſúſque ſolo repoſco ſupplex
A morte vt tueare me perenni
CHRISTI nomine, vita, quíque lux eſt,
Reſurrectio & vna mortuorum:
Vt cæcas abigens opacitates,
Huius mox tenebras chaóſque mentis
Diæ lumine gratiæ ſerenes.

Ad Virginem CHRISTI matrem.

O diua cliui Iuliodunici,
Quæ templa viuo ſplendida marmore
Perſæpe, ſacratáſque ſedes
AEthere poſthabito reuiſis:
Cui ſparſus aras vix numerabiles
Thuris vaporat fumus odorifer,
Lychníque pendentes ſuperne
Sacrifico faciente, lucent:
Cui Briſſa feſto & Naiades die
Vinctæ comoſa tempora arundine
Pæanas occentant, coruſcæ
Et dominum venerantur æthræ.
Quam Leucocrene vallibus è ſuis
Cum fonte puro vdum caput extulit,
Mirata dilectas frequenter
Circum agilem volitare turres,

Pérque ipsa cæli cærula ludere
Nunc nube clausam, nunc volucri choro
Hinc inde stipatam, ac deorum
Mellifluas per inane voces
Te concinentum, & carmine florido
Matrem vocantum regis Olympici,
Tactu absque connixam virili
Qui maculas hominum expiaret.
Te poscit æger sollicite, prece vt
Fessis dolores artubus exigas,
Clamore maturum apprecatur
Te querulo paritura fœtum.
Qui tela tractant Norica milites,
Fœcunda aratro qui sola suscitant,
Pictísque Atlantæum lacessit
Nauita qui pelagus carinis:
Præconio omnes te Dea supplici
Primam salutant, præsidio rati
Sese tuo vnius futuros
Incolumes, & vbique tutos.
Non ipse tedas donâve quæ tholis
Visantur altis cernuus offeram,
Non serta Panchæâsque messes
Quas minimi facis ipsa, ponam:
Hac laude supplex te tamen eueham
Auris licebit dum superis frui:
Téque hisce compellabo verbis
Scripta quibus sacra te perornant.
CHRISTI genitrix ô venerabilis,
Electa diuini hospita spiritus,
Quam sancta sublimem tenáxque
Credulitas polum adusque vexit:
Es prædicanda hoc vnica nomine,
Quòd fœminarum nulla beatior
Sit nata, quòd perfecit in te



Mirifica arbiter ille rerum:
Quæ nec fuerunt ſcilicet antea,
Erúntve. nam quid mirificentius,
Quàm numen æternum pudica
Virginis aluo hominem induiſſe?
Dicet beatam virgò puerpéra,
Proin poſterorum te ſeries, neque
Celabit argutis tuum vnquam
Grata, memórque modis honorem.

Ad Gelonidem coniugem.

Dilecta ô mihi me magis Geloni,
Sic in me tuus ánne amor refrixit,
AEternum fore quem prius putabam,
Feſtinanter vt huc venire viſum
Nolis dulciculum tuum maritum:
Quicum blandula luſitare noras
Haurire oſcula, identidem & datare
Vbertim ambroſio rigata odore,
Et iuxtim thalamo meridiari:
Vt pluris facias inepta matrem,
Et fratrem vnicum & vnicam ſororem,
Notarúmque choros puellularum,
Quàm commercia te viri vocantis
Amplexus ad amabiles, torúmque
Et ſtacte & Syrio fragrantem amomo?
Non hæc antè receperas Geloni,
Cum tu luctiſonum vale exeunti
Pertriſtis mihi diceres, & vdos
Impleres lachrymis ſinus obortis.
Dicta illa AEolii abſtulere Cauri
Ceu ſparſum cinerem leues procellæ
Latis turbine ſæuiente campis.
Quid ſi te ad Scythiam, feróſque Turcas
Ad raras Arabum domos vocarem?

Molli hic temperie serenus aer,
Non æstu calet aut rigescit algu,
Hic fert collibus editis racemos,
Fruges planitie benigna tellus.
Hic de paupere fit citra laborem
Diues, cui sua res Geloni curæ est.
Quanquam diuitiis nihil mouemur,
Lucellóve rei peculiaris.
Nam præsentia me satis supérque
Ditabit tua, contuberniúmque,
Huc sospes modo ventites, & vna
Hic cum coniuge victites Macrino,
Dilecta ô mihi me magis Geloni.

Ad Ioannem Bellaium titulo diuæ Cæciliæ Card. amplis.

Gente qui ducis genus à vetusta
Clare Bellai, proauos sed omnes
Dote virtutum premis, artiúmque
Laude bonarum.
Rideas, sanum nec habere pectus
Iudices, si qui tibi velle paruo
Vasculo visi fuerint aquosum
Claudere fontem.
Et tamen vecors animíque fidens
Spero idem, cum te numeris minutis
Claudere, imbelli cithara tuas res
Dicere tento.
Audeat vatis videsis quid error
Seduli, in vestram studiúmque gentem
Impotens, vt quò nequeat venire
Cogitet illuc?
Proferam priscæ tenuíne plectro
Stirpis ornamenta & opes superbas,

Et viros quondam celebres domíque
Militiǽque?
Oris hæc longe grauioris essent,
Víque dicendi mage concitata
Digna, tu quali potes atque frater
Langius vti.
Sat mihi solum fuerit referre
Quod queat vocis modicæ Thalia,
Vt domus fructu scateat perenni
Prolis honestæ.
Inter hos fausto subolescis ortu,
Ampla quem ducit series honorum
Per gradus omneis, grauiúmque format
Actio rerum.
Præditus Princeps ideo sagaci
Nare te legit sibi singularem,
Conscium arcani, simul & probata
Mente fidelem.
Roma mirata est, dominúsque rerum
Tybris orantem, & Thamesis Britannus,
Quíque Neptunum penetrat bicorni
Gurgite Rhenus.
Vrbium mater populosa, cursu
Quam secat lenis bifido, facítque
Insulam cui Sequana, te sacrorum
Præside gaudet.
Nec fauor Regis prius acquieuit
Quàm caput sacro tegereris ostro,
Tertio Romanæ obeunte sedis
Munia Paulo.
Vtque maiorum tibi fama laudi est,
Ipse sic illis decus es vicissim
Fulgidum, offusis nebulísque nunquam
Sydus opertum.

Ad Carolum Caluum Iuliodunen.

Quid Calue cessas? plectra sonantia
  Quin sumis, hanc & Lesbiacam chelyn
  Intendis, vt solenne Regi
  Cælituum crepet icta carmen?
Hac luce CHRISTO sunt noua cantica
  Flectenda, victis qui prius hostibus,
  Orci triumphantísque turmis
  Ad patriam remeauit aulam.
Non festa sacrum laurea verticem
  Velauit, alto non Capitolio est
  Inuectus, auratóque curru
  Militibúsque Ducem secutis.
Contra tot hostes cum foret asperum
  Certamen illi, solus erat tamen
  Pericla qui pugnæ subiret,
  Se daret in mediúmque campum.
Atqui triumpho cum memorabili
  Septus intenti nube, reuiseret
  Sublimis æternum parentem,
  Ad rutilum & reuolaret axem,
Non vni honores tum sibi debitos
  Vmbris piorum inuidit & Angelis:
  Vtrique cinxerunt magistrum
  Plausibili reducem corona.
Dextræ propinquus nunc patris assidet
  Dum facta mundi iudicet omnia:
  Agnósque secernens ab hœdis
  Destinet hos Erebo, hos Olympo.

Fesceninum canticum in nuptiis Isabellæ Portiæ Iuliodunen.

Vndenam nostras ferit altus aures
Clamor? insana domus vnde rixa

Feruet? & tantos agitata miſcent
Strata tumultus?
An Dionææ noua nupta luctæ
Inſciens, horret geniale fœdus
Icere, & pugnax ſolitum duellum
Conſerit Hymen?
Quid viro pugnas Iſabella tantum,
Nocte permittis neque nuptiali
In tuo primos gremio pudoris
Carpere flores!
Ille, ſi neſcis, merito repoſcit
Debitum, tedæ eſt ea lex iugalis
Quam Deus ſanxit Paradiſi amœnis
Saltibus olim.
Ne precor ruga caperes ſeuera
Nubilam frontem, ſua neu marito
Gaudia infeſta grauis exhiberi
Mente recuſes.
Eſſe quem ſæuum tibi reris hoſtem,
Cuius horreſcis tremebunda telum,
Mox vbi cernes propius, probéque
Noris, amabis.
Turpe te verò neonymphe vinci
Iurgiis, fletu, prece, dente, & vngui,
Turpe ab accenſo tibi iam redire
Marte minorem.
Non roſas carpent quibus eſt timori
Spina, nec mellis ſapidum liquorem
Haurient ſiqui metuant apum vim
Vulnificarum.
Laurea nullus potitur corona,
Aut equis celſus niueis triumphat
Antè, ni ſtrato ſpolium reportet
Hoſte petitum.
Perge ad optatam per acerba palmam,

Nec, fluant quanuis rosei cruores,
Desine ascenso statuas priusquam in
Monte tropheum.

Actio gratiarum cibo sumpto.

AEterne princeps orbis & artifex,
Qui te timenti das alimoniam,
Pisces & vndosi profundi,
Aerias volucrésque pascis:
Persoluo sumptis pro dapibus tibi
Grates canori carmine iubili,
Actáque vitæ perperam, cum
Pace tua veniam reposco.
Inter leones Assyrios situm
Pascis prophetam, & ne noceant, facis:
Nos sancte pascens à periclis
Omnibus eripere ô memento.

Ad virginem parentem.

Regina prudentum inclyta virginum,
Cui mater Anna est, Ioachides pater,
AEtate qui sera senectæ
Te vacuam genuere labis.
In gratiam per te probra flebilis
Vertuntur Euæ, nobile tu decus
Matrum pudicarum, edidisti
Omni hominum generi salutem.
Gaude Angelorum ô gloria præpetum,
Quæ gaudiorum indeficientium es
Enixa fontem sempiternum,
Incolumi niueo pudore.
Tam grata cuius virginitas fuit
Summo Tonanti, solam vt amauerit,
Solámque semorit volens, ex
Innumero grege fœminarum:

Ex virginum omníque agmine idoneam
  Caſtis ferundo viſceribus Deo,
  Mortalis vt factus, gementem
  Eriperet Styge mundum ab atra.
Iſtæc fauoris præcipui nota eſt,
  Piis quòd adſit cum Deus omnibus,
  Nulli tamen ſe copulauit
  Quàm propius tibi miriúſque.
Sponſam pater te nam ſibi deligit,
  Fœcundat almus ſpiritus integram
  Omnino ab amplexu virili,
  Filius è tua homo exit aluo.
Ferri in latebris hic vteri tui,
  Et lacte paſci non niueo abnuit,
  Sinûque caldo confoueri, &
  Sæpe tuis requieſcere vlnis.
Cum patris eſſet filius hic Dei,
  Compar & eiuſdem omnipotentiæ,
  Non eſſe, non dici recuſat
  Virginis ille tamen propago.
Coniunctus atqui mirificis modis
  Vt ante tecum eſt flamine pronubo,
  Per te eſſe nobiſcum ſubinde
  Cœpit ita, atque homines amare.
Nos inter egit bis tribus ilicet
  Luſtris & vltra, voce ſalubriter
  Quænam via eſſet luminoſo
  Erudiens populos Olympo.
Nunc & piorum pectoribus manens,
  Paſtûque carnis nos refouens ſuæ, &
  Potans ſacroſancto cruore,
  Aſſimiles ſibi pene reddit.
Ornere quantis per ſobolem tuam
  Agnoſcit orbis totus honoribus,
  Per quanta te matrem euidenter

Ceperit & benefacta sentit.
Supplex honorat propterea duo
Augusta vere nomina, filii,
Sese ad quod inflectit genu omne
Terrigenum, superûm, inferorum.
Tuúmque virgo nomen amabile,
Ad mentionem cuius alacriter
Ii gaudio exultántque plausu,
Chara quibus tua sancta proles,
Sol ille tanquam, qui radios suo
Fulgore diuûm clarior anteit,
Et gloriam obscurat perennis
Fons rutilans & origo lucis.
Inter beatas tu quoque fœminas
Virgo refulges non secus aurea
Ac luna, cum pleno minores
Orbe premit rubicunda stellas.
Atqui tui sic gloria nominis
Hæret tenaci glutine filio,
Non possit ille vt nominari
Quin genitrix memoreris vnâ.
Cum ferret olim tristia funera,
Presso dolebas tu quoque pectore:
Nunc regnat excelsis in astris
Participem statuens te honorum.

De valetudine Susannæ filiæ.

Hoc restabat adhuc casibus heu meis,
Hoc tot tristificis anxietatibus,
Vt vix trima Susanna
Mélque ac deliciæ meæ
Febriret misera, & depopulantibus
Cæco ardore rogis intima viscera,
Vitalésque medullas,
Sensim exucta liquesceret?

Alpinis gelidæ non ſecus in iugis
Effluxere niues, quas calor impotens,
Et Phœbeia lampas
AEſtiuis radiis ferit.
Sic ſpiris & operta vndique ſtupeis
Et fartim globulis oblita cereis,
Igni perpetuo fax
Collabi in cineres ſolet.
O confuſa malis gaudia liberûm!
O felle immodico turbida ſuauitas!
Omni ex parte beatum
Terrenis nihil ô locis!
Fœlix nuper eram viſus, amabilem
Propter progeniem, charáque pignora,
Quæ mellita Gelonis
Optanti ediderat mihi.
Inuidit piceo ſqualida mors peplo,
Iniecitque manum flebilis Atropos
In vitalia noſtra,
Binos abſtulit & rapax.
De bis iam ecce tribus tertia lectulo,
Dura in febre iacet pallida, funeri
Et luctatur acerbo
Vitæ inter creperæ moras.
Saltem Cælicolæ qui ſuperant precor
Mi concedite patri incolumes diu,
Contentíque duobus,
Hos ſeruate ſuperſtites.
Docta pingat acu tegmina ſerica,
Cum dulci Maria ſcita Suſannium,
Incumbat Charilaus
Muſis ingenuis puer.
Qui materno vtero fœtus adhuc latet,
In lucem veniat tempore idoneo,
Nec vexata dolore

Succumbat nimio parens.
His tibicinibus canities mea
Suſtentata meet terminum ad vltimum,
Hoc ſit fulta bacillo,
Canæ matris anilitas.

Ad Dominum CHRISTVM.

CHRISTE ſeruator miſerere noſtri,
Quando ſpes in te poſita omnis vno,
Ne tua, ô quanquam meritos, precamur
Obruat ira.
Ne velis actæ meminiſſe vitæ
Perperam, vultu ſed enim ſereno
Aſpice afflictos, tuâque obſecrantes
Gratia iungat.
Neu ſine vt nobis ferus obſit hoſtis,
Quæritans ſiquem valeat vorare:
Tu Deus noſter, manuum ſumus nos
Plaſma tuarum.
Seu mari effundat radios ab Indo
Sol recens, ſeu nox tenebreſcat atra,
Voce clamoſa tua ſint vocanda
Nomina nobis.
Noſtra ſis ſemper bone ſpes IESV,
Dæmonum & firmus iacula vmbo contra,
Cuius obiectu valeamus omnes
Deſpicere ictus.

Ad Regem Franciſcum in procinctu.

Quæ bella tractas optime principum
A ſede dexter CHRISTVS olympica
Fortunet, hoſtiléſque præſens
Auxilio furias retundat.
Confiſus acri Cæſar Iberia, &
Germanicorum viribus agminum

Vesanit exultans, tuásque
Ecce premit ditionis vrbes.
Non iura cæcum, non superi mouent
Affinitatis vincláve proximæ,
Germana nec festis quòd eius
Nupta tibi est Leonora tedis.
Rerum cupido tam insatiabilis
Peruasit eius pectus inæstuans
Ardore habendi, vt sese egenum,
Iam rapiat nisi cuncta, credat.
Sensit rapaces Neruius heu manus,
Sensit Sicamber, sensit & Atrebas,
Sensere Romani, feráxque
Insubria, atque gemens Nauarra.
Aptæ vltionis sed Nemesis potens,
Mentes superbas plectere & artifex,
Ad Sextias adduxit illum
Nuper aquas Latio relicto.
Francis ô omen lætificum loci!
Inauspicatum nec minus hostibus!
Cimbros enim illic Theutonósque
Dux Marius superauit olim.
Et lustra vix dum sunt duo condita,
Ex quo coacta Borbonides manu
Obsedit incassum vetustam
Massiliam fugitiuus exul.
Quin vrbe eadem dum socerum inclyta
Constantii stirps milite Gallico
Victrix adurget, morte turpi est
Maximianus atrox peremptus.
Cæsar moneri cladibus ô tribus
His debuisset, ne volucri mala
Intraret amens ominosa
Cæsaribus loca Theutonísque.
Ast axe terras æquus ab arduo

Deſpectat imas, factáque qui Deus
Mortalia, huc egit furentes
Supplicio vt merito trucidet.
Fretus ſecunda proinde ope numinis,
I Galliæ Rex, i nihil hæſitans
Cauſſæ aſſuturum iuſtiori
CHRISTVM, animúmque tuis daturum:
Tutare forti pectore patriam
Authore cælo ſceptráque credita,
Pro gente commiſſa, focíſque,
Pro laribúſque pia indue arma.

De Chriſtoforo Longolio.

Hoc ergo inclyte Longoli ſacello
Florenti tegeris ſepultus æuo:
Nec facundia quam tibi pararas
Conſtanti ſtudio, improbo labore,
Te de faucibus impotentis Orci
Labentem eripuit tenebricoſis,
Aut duras potuit mouere Parcas.
Linguæ mundities diſertioris,
Actæóque madens lepore ſermo,
Siccis cippum oculis quis hunc videbit,
Cordi curia cui ſit & tribunal,
Et cultæ nitor elocutionis?
Te vixiſſe tamen, ſtylóque dulci
AEquales ſuperaſſe, ſcripta liquent
Teſtatum tua, poſteríſque tradent
Vno te modò Tullio minorem.
Et quæ iam niueis volauit alis
A Gange occiduas aduſque Gades
Te fama afferet, ac virum per ora
Longum conſtituet tibi ſepulchrum,
Longam conſtituet tibi immo vitam.

Primi psalmi Dauidici paraphrasis.

Ter quater fœlix erit, impiorum
Factio cui non scelerosa cordi,
Nec via sontum stetit, aut cathedra
Sedit iniqua.
Lege at in sancta Domini voluntas
Fixa constanter fuit eius omnis,
Et diu ac noctu meditans in illa
Hæsit amanda.
Arboris iuxta vitreos aquarum
Consitæ riuos erit instar idem,
Quæ suo dulcem dabit affluenter
Tempore fructum.
Defluet cuius folium nec vnum,
Peruirens & quem feret illa fructum
Cunque, durabit populo futurus
Vtilis ipsi.
Impius contrà Superorum & osor,
Pulueri fiet similis minuto,
Quem procelloso iacit huc & illuc
Turbine ventus.
Nam cadet caussa sceleratus omnis,
Stare nec cœtu poterit piorum,
Cuncta cum appendet Deus eius æqua
Facta statera.
Vtque iustorum via, vita, mores
Candidi semper Domino placebunt,
Omnium infœlix ita, & impiorum
Vita peribit.
Omnium Princeps, opifexque rerum,
Nate ab intacta genitrice, sit laus
Et tibi & Patri sine fine, sancto
Spirituíque.

Ad Renatum Fabricium Iuliodunen.

Hunc psalmum tibi Fabrici dicamus,
Qui præfatio siue cæterorum est,
Seu princeps numerum suum tuetur,
A nobis modo sapphicas redactus
In leges, tibi vti tuóque fratri,
Quo nil doctius elegantiúsque
Molle tinniat, exprimátque ad vnguem
Sensus sceptriferi sacros prophetæ,
Conceptu nec ab illius recedat.
At seu præstitimus prout decebat,
Siue id non sumus assecuti vt æquum est,
Qualemcunque tamen libenter vni
Hunc psalmum tibi Fabrici dicamus.

Ad Dominum CHRISTVM.

Largitor veniæ Deus,
Tanti humana salus cui fuit, emori
Vt velles trabe in ardua,
Pro cunctísque tuum fundere sanguinem.
Instanter prece supplices
Clamosa petimus lucido ab æthere,
Et regni solio tui,
Vt vertas oculos hæc sola ad infima
Terrarum, atque hominum genus
Sorde à tabifica mitior expies,
Exempta penitus nota
Lethali scelerum mole prementium.
Rerum ô maxime conditor,
Fac Euangelii defluat vt tui
In sensus dociles charis,
Diuinæ & vigeat verba per enthea
Vis dulcedinis, efficax
Ad frugem ipsa bonam flectere pectora,

Errorum vt grauium via
Omissa, veniant ad tua protinus
Omnes sacra fidelia,
In te vnóque pii spem stabilem locent.

Nænia in funere Antonii Papilionis.

Ah Quietalem properas ad atrum
Tam cito Antoni? tenerámque nuptam
Deseris primæ moriens in ipso
Flore iuuentæ?
Illa conclauis latitans opaco
Angulo diuos & acerba fata
Tristis incusat, vocat & maritum
Nomine amatum.
Cœtus effusim muliebris ægram
Visitans blande fouet, ac dolorem
Quo potest pacto, minuítque inanes
Arte querelas.
At dolor crudus, nimium recénsque
Respuit fomenta manus medentis,
Sæua adhuc necdum patiuntur vllos
Vulnera tactus.
Ergo mi coniux tibi linquor (inquit)
Copulæ primis genialis annis,
Nec mihi de te licet expetitam
Gignere prolem,
Quæ leuet nota viduæ figura
Tædia, & desyderium mariti
Leniat præsens, mea & ante ludat
Mobilis ora?
Non enim posthac sociabit alter
Me sibi, extinctum comitarer & iam
Morte si accita Stygias sit æquum
Ire sub vmbras.
In virum non me studio fideli

Vincat Alcestis, Capaneíve coniux,
Quǽque lethales moritura sorpsit
Porcia prunas.
Sed fides istud prohibet verenda,
Nec licet cuiquam cadere antè Summus
Quàm pater vitam in tenues abire
Iusserit auras.
Hæc inexpletis iterans subinde
Questibus, functo mulier marito
Fida perluget, faciémque sparso
Puluere turpat.
Te tamen fleri vetat alta virtus,
Præditus qua splendueras superstes,
Quǽque te mundi penitas adusque
Prædicat oras.
Sedibus quæ tam regio remota
A tuis, cui non bene notus esses
Moribus rectis, studióque legum
Cæsarearum?
Conditum quanuis tumulo cadauer
Deterant vermes auidi, tamen pars
Addita est astris melior, per orbem
Fama vagatur.

Ad poetas Gallicos.

Brixi, Dampetre, Borboni, Dolete,
Vulteíque operis recentis author,
Facundi numero elegante vates,
Fœlices animæ atque honore dignæ,
Queis & Gallia nostra gloriatur,
Fidenter medium exerens & vnguem
Gentes Ausonias lacessit audax.
Mercedem à patria feretis ecquam,
Decretis quibus eueheminíque
Musæi celebres leporis ergo?

Vestra nanque opera & labore factum,
Insigni simul eruditione,
Hæc vt natio Gallicana nullo
Antè humaniter instituta cultu,
Et quæ barbara diceretur olim,
Iam agrestem exuat expolita morem,
Ipsam iam Attida Græciámque totam
Doctos prouocet, ac Remi nepotes,
Nec sese Italia putet minorem.
Rem laudabile publicam est tueri,
Hostes Marte fero domare pulchrum,
Vrbes cingere mœnibus præaltis,
Sublimem niueis equis sedere,
Arcus erigere, & superba passim
Ornare exuuiis trophæa fixis,
Circos construere, excitare templa,
Arces ædificare, aquæve ductus
Vrbi inducere, liberalitate
Prona effundere congiariúmve
Donatiuâve in hos vel hos viritim.
Præclara hæc fateor, nec abnuenda
Brixi, Dampetre, Borboni, Dolete,
Vulteíque operis recentis author,
Si cui cornea forte fibra non est.
Longo tempore sed tamen fatiscunt,
Súntque obnoxia casibus, ruinis,
Diro & fulminis igne dissipantur.
At præconia luculenta vatum,
Tinctæ & nectare Hymettio Camœnæ
Annos vsque ferent, nec interibunt
Dum stellis polus aureis nitescet,
Ardore immodico flagrabit æstas,
In vastum fluuii ruent & æquor.
Testis Solius ille Apollinaris,
Aruernæ soboles beata terræ:
Testísque Ausonius pecuniosæ

Lumen Burdegalæ: Thalia quorum
Magni insigniit accolas Garumnæ,
Pendentésque cauis iugis Gebennas.
Nam laudum artifices poeticarum,
Et quos buccina cunque sacra vatum
Viuaci extulerit canora bombo,
Fient conspicui atque sempiterni,
Annorum senium nec extimescent
Et vates, & erunt opus perennes.
Quocirca Aonio furore raptum
Vestris iungite me choris amicum,
Et sextum sacrum in ordinem vocate.
Hoc si contigerit fauore iusto,
Sublimi ardua vertice astra tangam,
Crassi diuitias nec anteponam,
Brixi, Dampetre, Borboni, Dolete,
Vulteíque operis recentis author.

Ad Dominum CHRISTVM ante somnum.

Spes CHRISTE mundi lúxque fidelium,
Titane fulgens purius igneo,
Qui clarus emergens ab Indo
Flectit equos pelago aurifrænes.
Caliginosas tu tenebras tui
Splendore vultus lætifico fugas,
Noctémque peccati profundam
Discutis, atque animos serenas.
Hac obsecramus nocte vti dæmonum
Contra vafrorum noxia nubila,
Cæcos & insultus, fauorem
Sancte tuum auxiliúmque præstes.
Illumines vt pectoris intima
Obscura nostri, cuncta pericula
Defensor auertas, nec vnquam

Mortiferis iaceamus vmbris.
Iustis nouentur fessa quietibus,
Dulcíque somno corpora, vti dehinc
Fota ipsa surgant ad diurnum
Obsequiosa magis laborem.
Prompta interim mens excubias agat,
Sempérque sensus permaneat vigil,
Expectet aduentum tuum quo
(Nanque repens aderis) paratus.

Ad Ludouicum Marthanum.

Mos fuit Graiis Italísque, quondam
Voce apud mensam canerent vt assa
Acta maiorum pueri modesti
Carmine prisco.
Sæpe tibicen fidicénque mixtim
Arte concordi modulatus vna est
Musa concentu lepido vt subiret
Gratius aures.
Fructus haud simplex erat accubantum,
Quòd voluptatem melos afferebat,
Imbuebatur veterúmque clara
Laude iuuentus.
Ante conuiuas vtinam assuescant
Martyrum dici celebres Agones,
Nostra & vsurpent Ludouice priscum
Secula morem:
De Deo vt dulces numeri canantur
Impudicarum vice fabularum,
Oblocutricis neque funditentur
Toxica linguæ.
Nunc meró postquam maduere multo,
Qui toro accumbunt, lacerant vel acri
Vulnere absentes, ioca vel proterui
Turpia ructant.
Iam palàm tritum est epulis ipsis

Aptior quænam latici Lyæo
Ora ſcitari, meliórne turdo
Phaſias ales.
Hic apri iactat ſapidi ferinam,
Iſte præponit capream fugacem,
Ille boleto ancipitíque fungo
Tubera præfert.
Sermo de mundo muliebri at iſti,
Cultior quænam ſit & vrbe tota,
Quæ laborato liget aut capillum
Comptius auro.
Hæc cibo circum poſito feruntur
More ſolenni, neque pranſitanti
Cuipiam curæ eſt recitare cunctis
Vtile quod ſit.
Quàm foret pulchrum domini Deíque
Verba, & æternæ documenta frugis
Promere, & ſeſe geminis fouere
Paſtibus illic.
Acta cæleſtis memorare CHRISTI,
Eius & duros comitum labores
Quos tyrannorum pietatis ergô
Perculit enſis.
Diſpudet noſtros Ludouice vinci
Moribus caſtis ſtudióque recti,
A Dei ignaris, Stygiíque luſis
Fraude Sciarchæ.

Ad coniugē in Natali virginis Mariæ.

In CHRISTO ſoror ô Geloni chara,
Coniux dulcicula, admodúmque grata,
Sancto & fœdere copulata mecum
Natalem Mariæ reuexit annus
Solennem, ac venerandam vtrique lucem.
Proin veſtis nitidæ venuſta cultu

Matronalibus annulísque fulgens,
Sed fide mage sanctimoniáque,
Et virtutibus id genus sacratis
Te phana ocyus ad propinqua confer,
Et summo ædiculam Deo dicatam.
Illic poplite prouoluta flexo,
Et supplex animi precare CHRISTVM
Ignoscat vitiis vt ipse nostris,
Indulgens veniam piaculorum,
Nos noctes quibus improbe diésque
Ipsum offendimus, ipsiúsque patrem.
Dein vt quos dedit ille posce natos
Seruet incolumes, alat, gubernet,
Rectis moribus & det erudiri.
Postremo pete vti quietiori
Ambos coniugio velit fruisci,
Et tristes abigat procul querelas,
Ne casti dirimant amoris ignes,
Neu diuortia iurgiosa gignant.
Verum ante omnia sculpat vt medullis,
Inque ima sua sancta iussa mente:
Quippe est lex Domini magistra vitæ,
Conuertens animas, fidele pignus
Fauis dulcius, Atticóque melle, &
Quæ paruis sapientiam ministret.
Hæc sunt ô mea quæ rogare par est
Hac festa Mariæ celebritate.
Quæ virgo & genitrix simul, sed vna est
Virginum decus, atque norma matrum,
Næuo ne minimo quidem notata.
Illam conuenit vsque ferre cantu,
Et psalmis memorare luculentis,
Per vestigia & eius ambulare
Virtutum cupida æmulatione,
Quæ Diuam aureolo intulere cælo,

Iunxere & soboli suam parentem,
Immortalibus vt bonis fruatur,
Necnon gaudia gaudeat beata.

Dominũ CHRISTVM ante omnia hominibus piis esse inuocãdum, exemplo diui Stephani.

Martyr inuictæ fidei propinquum
Dum sibi lethum Stephanus videret,
Densa saxorum streperet fragoso
Grando rotatu:
Lucidum attollens oculos ad axem
Liuidos morte & inedia natantes,
Intimo supplex Dominum inuocauit
Pectore CHRISTVM.
Non opem in pœnis aliunde poscit,
Cogitat solum pia mens IESVM,
Iura cui norit data sempiterni
A patre regni.
Eius exemplo moniti tenemus
Quò sit accessus quoties precamur,
Nostra spes in quem merito reflecti
Debeat omnis.
Quin apud diui monumenta Lucæ
Sacra testatum est, aliud sub ipso haud
Esse quod nobis tribuat salutem
Nomen Olympo.
Id neget siquis, rear infidelem,
Prorsus indignum venia, vetémque
Ne comes mecum veniat, domo neu
Degat eadem.
Obuium CHRISTVS trepidis asylum est,
Iuge munimen, clypeũsque & ara,

Inque curarum grauibus procellis
Anchora ſacra.
Huc fatigati fugiamus omnes,
Conferet gratam requiem laborum,
Sarcinas tollens humeros moleſto
Faſce leuabit.
Hic ſit infeſtis ſtatio carinis
Fida,ab hoc omnem penitus ſalutem
Vſque ſperemus,dare vult potéſtque
Optima ſolus.
Quis cadet cauſa? metuet quis acrem
Iudicem, cui ſit tamen aduocatus
CHRISTVS,æterni genitoris altum
Ante tribunal?

Ludouicus Tellignius ad Arethuſam.

Coniux voluptas vnica coniugi,
Candore quæ lac,quæ cumulos niuis
In vertice Alpino iacentes,
Lilia cana,roſáſque vincis.
Flauos amanti pande capillulos
Auro nitentes diuite valdius,
Purámque ceruicem politis
Marmoribus magis albicantem.
Formoſiores ſunt tibi lucidis
Stellis ocelli, deſuper integit
Quos rara flexi ſemicirclo
Sylua ſupercilii nigello.
Malæ rubenti murice eburneæ
Illuminantur,labra corallina,
Et melle voces delibutæ,
Me mihi ſurripuere nuper.
Odora mollis cinnama fert ſinus,
Surgunt & ex te deliciæ vndique,
Da mi columbatim ducenta

Oſcula, da thalami tributum.
Piſcus haud ſic ſalſa per æquora
Alpheus vndis antè ſequacibus
(Vt te ipſe) anhelando peruſit
Ad Siculas Arethuſan oras.
Viuum ecce ſugis tu mihi ſanguinem,
Mundas amabo conde papillulas,
Quæ lactis expertes tumeſcunt,
Me niueo alliciũtque luxu.
Quantis peruſtus ſaucier ignibus
O lenta cernis, quámque ego langueam,
Languore nec noſtro moueris
Propterea, at miſerum relinquis.

Ad Deum patrem actio gratiarum cibo ſumpto.

Donis quandò tuis omnipotens Deus
Pauiſti famulos, dans alimoniam,
Et iuſto refouens corpora ferculo
Longis feſſa laboribus:
Quid per nos fieri, quĩ dve ſecus velis
Oſtende, & dociles effice, dirigens
Quo mandata animis ſancta volentibus
Fiant in tua poſterum.
Cœpti per te operis ſit bonus exitus,
Nec quiſquam officio vt functus erit ſuo,
Elatis animis proinde ſuperbiat,
Soluat ſed tibi gratias.
Quæ ſunt recta, operum fons etenim omnium es
Virtutũmque caput, nec ſibi vendicet
Quicquam hinc vanus homo, at perpete gloria
Authorem celebret Deum.
Diuinæ ſit honos omnipotentiæ,
Patríque, & genito, & Spiritui ſacro:

Quos tres in parili nunc credimus
Regnare æthereo polo.

Laura Francisci Petrarchæ loquitur.

Franciscis ego debitrix duobus,
Quorum munere consecuta famam
Immortalem, hominum celebror ore.
At tanti tibi si videbor hospes
Vt vtri mage debeam requiras,
Illi præcipue, potissimúmque
Laura debeo qui potentiorum
Regum maximus, inclytissimúsque est,
Qui virtutibus hoc honorat æuum,
A tergóque duces relinquit omnes,
Qui sunt, quíque fuere, erúntque posthac,
Altum marmore nam nouo sepulchrum,
Et dignum elogium suo sepulchro
Neglectæ prope cognitæque paucis
Citra spem mihi præmii excitauit,
Non olim meus hoc Petrarcha fecit.

Ad Margaritam Valesiam Reginã Nauarræ cum filium funeraret.

Regiæ si tot ditionis vrbes,
Atque inexhausto domus aucta censu,
Si genus clarum, celebríque sanguis
Splendidus ortu:
Ingeni si vis generosa magni, &
Deditum pectus studiis honesti,
Efficáxque Afros cicurare fando
Lingua leones:
Casuum immunem quibus ipsa vita
Voluitur sursum temere ac deorsum,

Quempiam præstent hominúmque supra
Fata reponant:
Digna quæ tantis cumulere donis,
Ante mortales videaris omnes,
Galliæ Regina, decus, tuóque
Addita seclo.
Nanque vectigal tibi abusque summa
Pensitat Vasco volucer Pyrene,
Pascuis diues Biturix, & altis
Neustria syluis.
Si tuæ gentis genus atque origo
Prima quæratur, Priamum necesse est
Excitem, & Francos ab amante Martis
Hectore ductos.
Quis manu audacem Capetum, quis acrem
Nescit Augustum, & Valesi nepotes,
Aureis omnes trabeis & aurea
Torque decoros?
Hos tamen longe tuus ecce frater
Corporis raris animíque vincit
Dotibus, fratrem prope & ipsa veris
Laudibus æquas.
Fruge præsertim pietatis alma,
Disseris de qua quoties, ab ore
Mella facundo, riguósque fundis
Nectaris imbres.
Proinde te vatum chorus omnis effert,
Quisquis & CHRISTI studio incalescit:
Nam nihil cæcos moror aut retorta
Mente Sophistas.
Quominus sed non tamen ista præstant,
Sortis humanæ patiare casus
Numini visum quoties ab alta
Arce tonare.
Incidunt quædam fateor molesta,

Quæ ſua mentem moueant quiete
Interim,& mordax penetrante ſenſu
Tentat amaror.
Sed ſolet CHRISTI bonitas paratam
Ferre opem,præſens & adeſſe mœſtæ,
Mole nequando nimia dolorum
Victa fatiſcas.
Liberum immaturo obitu tuorum
Angier ſite,& lachrymare nolim,
Sim ferus,du róſque adamantas imo
Pectore geſtem.
At voluntati ſuperûm gerundus
Mos tamen,quam rem facis ipſa:nec te
Opprimi luctu ſinis anxiæ per
Tædia vitæ.
Verum(adhuc ſiquis modo reſtat angor)
Hunc vir,hunc frater minuat ſuperſtes
Quæque quinquennis tibi nata celſa
Ludit in aula.

De periculo vitæ allegoria.

De rupis ſpecula ſupinioris
Conſpexi fragilem meam phaſellum
Huc illuc tumidis agi procellis
Tantum non decimo & perire fluctu.
Nam remis ſine ductilique clauo
Ventis oppoſitis procúlque portu
Spes fallacior infidelis auræ,
Et cæcus dubii fauoris æſtus
Iactabat mare naufragam per altum.
Sublatis oculis ad ipſa ſed tum
Cæli cærula, Summe rector inquam
Hanc nauim in loca tutiora ſubduc,
Syrenis neque cantibus doloſis,
Quæ diſcriminis huius vna cauſa eſt,

Auferri in ſcopulos ſinas malignos.

Pſalmi ſecundi paraphraſis.

Cur cæca tanto murmure gens fremit,
Cur commouetur vulgus inanibus
Rectoris æterni rebelle
Imperio dominíque CHRISTI?
Facto ecce Reges agmine proruunt,
Rubróque amicti murice Satrapæ,
Iuſſis vt opponant parato
Seſe animo æthereis furentes.
Rumpamus aiunt vincla, adamantinos
Nexúſque, eorum depoſito iugo,
Morem nec affixis ſeuere
Legibus indociles geramus.
Quid conſequentur his proceres minis,
Vaníque cœpti conſiliis, niſi vt
Cæli arce ſtellata ſedenti
Commoueant Domino cachinnum?
Eius coruſco dextera fulmine
Armata telis ſæuiet igneis,
Cum voce dementes minaci
Corriget, attonitóſque reddet.
Illum ipſe Regem vertice in ædito
Sionis (inquit) conſtituam mihi,
Illum ipſe ſacratum perungam
Ambroſio Charitûm liquore.
Subiunxit hæc mox, Tu mihi filius
Mente ô coæua ducte perenniter:
Te rite cultores parenti
Congenerem vnigenámque credent.
Tu regna tantum, tu populos petas
Dextra regendos chare puer tua,
Per me tibi extremas dabuntur



Oceani vel adusque metas.
Expers potestas finis erit tua,
In contumaces cuspide ferrea
Vteris, illi conterentur
Non secus ac figularis olla.
Ergo tyranni iam resipiscite
Posthac, & æquum discite iudices,
Legísque diuinæ tenacem
Notitia excolitote mentem.
Stringat verendo relligio metu
Distenta castis pectora gaudiis:
Contingat offensum lacessi
Ne dominum, & pereatis omnes.
Exarserit nam cum furor illius,
Vindicta sontes iustáque adobruet
Fluctu repentino, beati
Qui spem in eo posuere firmam.

Ad diuam Mariam Lazari & Marthæ sororem.

Obstrepat vulgus licet afferenti
Pro coargutis mihi certa nugis,
Veritas vincat tamen, & reuulsus
Exulet error.
Dum tuas laudes lyra lenis effert,
Huc ades præstans soror excitati
Lazari & Marthæ, generosa summi
Hospita Regis.
Quis furor quosdam malesuadus egit,
Vt tuo vellent maculam pudori
Addere, & turpi nihil inquinatam
Labe notare?
Antea castam Maro sic Elissam
Perperam vano lacerauit ore,

Mentiens Trois tacito,perustam
Igne mariti.
Tu domo illustri generata,& amplis
Affluens gazis,dominum secuta es:
Sobrie vixti,Paphiíque semper
Criminis expers.
De patris regno est quoties locutus,
Ore pendebas vigil à sacrato,
Rore cælestíque siticulosa
Corda rigabas.
Cûmque ab obscuro reuocasset orco
Virbium fratrem,pia Martha cœnam
Hospiti & festas epulas verendo
Tûque parastis.
Indicum fundens alabastrus vnguen,
Verticem CHRISTI redolente nimbo
Sparsit,& suaui domus affatim omnis
12 Risit odore.
At grauabatur comitum vnus istud
Liuida eructans maledicta lingua:
Tum tua inuenit,meruítque CHRISTVM
Causa patronum.
Hic typus mortis fuerat propinquæ,
Hæc sepulturæ Domini figura,
Qui tuum prædixit ob id futurum
Nobile nomen.
Iámne per totum celebraris orbem:
Et fit omnino tibi quod receptum est,
Præco suggestu hæc quoties ab alto
Acta perorat?
Fata siquando recolentur almi
Regis in templis,recolere Diua,
Téque cum CHRISTO canet omnis vnâ
Turba piorum.

Ad Hubertum Susannæum.

Non vllo potuit vincere lubrica
Te fortuna modo, prospera seu foret
Læta & fronte serena,
Seu vultu aspera nubilo.
Et quæcunque fuit (si memini bene)
Pendêre hanc dominô cælitus à Deo
Dixisti, omnia summi
Patrísque arbitrio regi.
O verba eximio consona pectori!
O vocem insolitis laudibus excipi
Dignam: quæque facit mens
Vt passim tua clareat!
Duret propositum hoc tempus ad vltimum,
Nullísque euariet mobile casibus,
Ne quid forte queratur
CHRISTVS, si titubes leuis.
Hæc nulli valeant vincere robora
Motus, nec stabilem debilitet fidem
Hostis subdolus Orci,
Aut vis supplicii minax.
Nêve Huberte piis te studiis grauet
Hærere, infragili & pectore persequi
Quæ sunt grata Tonanti, ac
Recto incedere tramite.
Non regno ille Dei conueniens erit,
Mercedem famuli nec referet probi,
Qui complexus aratri
Stiuam respiciat retro.
Qui clauum vndiuagi nauigii regit,
Subducat si agilem tunc oneri manum
Cum vesana procella est,
Actutum pereat ratis.
Cœpisti quod opus mordicus, id tene:

Sic percharus eris numini olympico,
Cuius nostra beatur
Donis vita perenniter.

Ad Victorem Berodæum Turonens. Secretarium Regium.

Siquis dente palàm furente mordet,
Aperte maledicit huic & illi,
Vt certe hunc ego cunque ferre,& eius
Notis vulneribus queam mederi.
At si fronte quis obuius serena,
Et lingua illice captiosus,atrum
Ficto pectore comprimit venenum,
Cæcis eminus instat & sagittis,
A tergo feriens modo hunc,modo illum:
Hunc tanquam rabidum canem,nepâmve
Vitandum mihi semper ipse rebor,
Ignésque haud secus ac Iouis tremiscam.
Hanc Diui procul ô fugate pestem,
Immanem hanc furiam innocentiorum
A conuentu hominum repellitote,
Hanc Victor fuge,ab hàc catus recede.

Ad Io.Bellaium Card.amplis.

Magnus Sesostris bella ferociter
Gessisse terris fertur in exteris,
Duxisse captiuos,iugóque
Imposito domuisse Reges.
Idem triumphis Ogygium suis
Anteisse Bacchum,diuite ab India
Qui victor,ad currum tigrésque
Iunxit ouans variásque lynces.
Memphim Sesostris quippe decemiugi
Curru insolescens ad patriam redit,

Auro capiſtrati tetrarchæ
Quem ſubeunt dominum vehentes.
Hæc cur minus ſunt cognita poſteris,
Quàm quicquid olim Græcia ad Ilion,
Thebáſve, Colchońmve Phaſim,
Thermopylas, Marathona geſſit?
Quàm rura vaſtum per mare in Itala
Vectos penatis à profugo Phryge:
Aut ſæua diuiſo Senatu
In generum ſoceri duella?
Non contigerunt hiſtoriographi,
Non cura vatum, qui memorabiles
Pugnas triumphatóſque Reges
Eruerent tenebris ab ipſis.
Paucis Seſoſtrim quòd niſi verſibus
Dum facta gentis Niliacæ explicat
Ornaſſet author ſplendidarum
Herodotus veterúmque rerum,
Leges tuliſſe illum regionibus
Bello ſubactis, iuráque, nemo iam,
Non dico, nouiſſet, ſed ortum
Nec fugiens meminiſſet ætas.
Ingens Patrone eſt gratia dulcibus
Habenda Muſis, quarum ope, gentium
Regúmque res geſtæ perennes,
Quicquid & egregium eſt vbique.
Nam ſi tacebunt quæ benefeceris
Fontem incolentes Caſtalium Deæ
Obliuia inuoluent, ſitúque
Liuida nox premet obſoleto.

Ad Abellium Fontanum Iuliodunenſ.

Quid conuitiolis quotidianis
Inſtas, aſſidue petens, vt edam
Quos luſi cithara modos Abelli?

Et verba AEolio ordinata plectro?
Nec cernis tamen interim pericla
Impendentia, quandocunque inepti
(Quales ſcilicet hi mei libelli)
E nido ante ſuum exiere tempus?
Nec demens metuis ſeueriorum
Cenſuras Italûm, & notationes,
Vni qui cor habent habéntque naſum?
Si ſit cura meæ tibi vlla famæ,
Traduci neque me velis, monebis
Quicquid compoſitum eſt ineptiarum,
Vt clauſum teneam, domíque ſeruem,
Infœlicibus vſtulémve lignis.
Fidi hoc conſilium ſodalis eſſet,
De me ſolliciti meíſque rebus.
Ne pluris tamen æſtimare verſus
Informes, nec adhuc bene inchoatos,
Quàm votum videar precéſque amici
Rari, præcipui, & peculiaris:
In vulgns veniant tuo rogatu,
Male & ſcrinia prouidi relinquant.
Hoc abs te ſed enim petam viciſſim,
Vt ſi prodierint, inauſpicato
(Quod Fontane palàm liquet futurum)
Sis patrocinio, feráſque culpam, &
A damno omnia ſarta tecta præſtes,
Atque ictus clypeo tuo retundas
In nos vulnificentius ruentum:
Hac emittimus hoſce lege Abelli.

Finis primi libri Hymnorum.

Salmonii Macrini IVLIODVN. Hymnorum liber secundus.

Ad Io. Bellaium S.R.E. Cardinalem amplis.

Bellai pater & Patrone vatum,
Nullo nomine iustius vocaris,
Multa etsi tibi sint honorum & ampla.
Debetur tibi qualis ista cunque est
Lucubratio, vt annuum tributum, &
Fœturæ reditus Macrinianæ.
Nam cum nostri opibus tuis agelli
Pinguescant, niteant, & excolantur
Abs te munificentiore dextra:
Næ dignus sim odio, parúmque gratus,
Si de frugibus ingeníque messe,
Quanquam infertilis admodum, recusem
Saltem primitias tibi dicare,
Lectarum & decimas aristularum.
Herbis in teneris adhuc virebat
Immatura meæ seges Camœnæ,
Culmorum noua cum superfluorum
Fratri luxuries tuo dicata est.
Rubro at te petaso infulísque clarum,
Et Sidonide lena inauguratum,
Pars messis melior probatiórque,
Et fructus magis vber addecebat.
Quem vultu accipias vti sereno,

Atque vlnis precor obuiis Patrone
A ſemper tibi dedito colono.

De Deo difficile loqui, niſi fides adſit.

De Deo Muſæ quoties loquuntur,
Non eis portas facile inuenire eſt
Obuias vocum, propriíſque numen
Dicere verbis.
Nanque res tanta eſt Deus, vt capaces
Illius non ſit reperire ſenſus,
Rite nec ſacrum queat vlla nomen
Lingua profari.
At fides noſtris ſimul vt refuſa eſt
Mentibus, fulget noua lux repente,
Et Deum fixis vigil intuetur
Senſus ocellis.
Soluitur linguæ prius impeditæ
Tarditas, creſcit pius ore ſermo,
Nubilis & lux animi receſſus
Intrat abactis.
Gentis Hebrææ quid ait propheta
Cui premit fulgens diadema crines,
Quíque præſago ferit incitata
Nablia plectro?
Credidi, ſum mox ideo locutus.
Non locuturus niſi credidiſſet
Ille: diuinis trifidum erudiuit
Verſibus orbem.
Et fide arcanas duce opes recluſit
Entheo afflatu ſuper aſtra raptus,
Arduum miro penetrans volatu
Cycnus Olympum.
Qui regis cunctos Pater atque Princeps,
Virginis caſta genitricis aluo

Edite, vt mundi ſcelus expiares
Sanguine fuſo.
Hac fide illabens mea corda firma,
Cogitent vt te & meditentur vnum:
Nec pio hæc ceſſet tibi lingua laudem
Dicere cantu.

Symbolum Apoſtolicum.

Credo(idque ex animo)in Deum Parentem,
Tellus cuius opus nitènſque cælum.
In CHRISTVM Dominum Deúmque noſtrum,
Eius filium & vnicum & coæuum,
Quem diuinitus integella virgo
Vi Spiraminis influente ſacri
Concepit, peperit doloris expers,
Et mammæ niueo fluore pauit.
Qui ſub præſide Pontio peremptus,
Affixúſque cruci, cauo ſubinde
Tymbo conditus, Inferos adiuit,
Hinc luce ilico tertia reuixit.
Pòſt ad ſydera ſcandit, & propinquus
Ad dextram Patris axe ſedit alto,
Dum rurſum veniat, ſuperſtitéſque &
Functos iudicio vocet ſupremo,
Agnos ſegreget vt ſuos ab hœdis.
In ſanctum quoque Spiritum, fouemur
Cuius numine, fingimur, docemur.
Credo Eccleſian entheam atque ſanctam
Quam nos Catholicam pii vocamus.
Quin communia cuncta credo Sanctis,
Quos Baptiſma, fides & vna iungit.
Peccatorum etiam remiſſionem,
Necnon carnis anaſtaſim vniuerſæ.
Poſtremo requiem beatiorem, &
Diæ præmia ſempiterna vitæ,

Iis qui pectore credidere toto.
Hæc confeſſio & hæc fides eorum eſt,
Quos fas dicere iure Chriſtianos.

Ad CHRISTVM Genethliacum.

AEquæua ſummi progenies Patris
Rex CHRISTE regum, déque Deo Deus,
Ignare finis principiíque,
Omnipotens opiféxque rerum,
Idem puella nate tenerrima,
Quæ nuptiarum munia neſciens,
Cæleſtis afflatus ſuperne eſt
Mirifica tumefacta opella.
Hac luce feſta ſi meritos pii
Aris honores ingerimus tuis,
Pæana ſi lætum frequentes
Voce tibi modulamur alta,
Cultúque adorat liniger annuo
Numen ſacerdos rite memor tuum,
Ac fruge ſtans horna meróque
Sacra tuis facit alma fanis:
De ſede cæli flecte domeſtica
Huc dia mitis lumina protinus,
Noſtróſque procliui fauore
Proſequere auxilians precatus.
Tu nudus inter bruta animalia
Orte ô ſecundis alitibus puer
Vagiſti, & anguſti mapalis
Semiruto iacuiſti in antro.
Tu geſtientis caſta puerperæ
Dio ore ſugis pendulus vbera,
Sopitus interdum quieſcis
In teneris refouentis vlnis.
Tu pro cubili purpureo premis
Præſepe durum, ſparſáque ſtramina,

Algore & hyberno tremiſcis,
Matre vicem miſerante acerbam.
Quem non egeſtas hæc tua mouerit,
Cognorit orbem qui tibi conditum,
Fixas & horrendum frementi
Oceano fluuiiſque metas?
Non defuerunt Angelicæ tamen
Diuina turbæ cantica, gloriam
Pſallentis æterno Parenti,
Plauſibilem populiſque pacem.
Illis bubulci qui regionibus
Cuſtodiebaut montiuagos greges
Venere feſtini, tuâſque
Suppliciter coluere cunas.
Stellæ ſecuti lumina præuiæ
Magi affuerunt Perſide ab vltima,
Aurûmque, odoratâmque myrrham, &
Thura tibi Nabathæa donant.
Quid tale Cures, quid Corybas ſuo
Fecere in antris Gnoſiacis Ioui,
Cum nota Saturni furentis
In ſobolem tremeretur ira?
Innoxiorum hinc funditur effero
Sanguis Tyranno, denſa cadauera
Mucrone cæſorum minaci
Fleta legunt, tumulântque matres.
Abominantur ſacrilegum nefas
Carmelus ingens & Libani iuga,
Retrôque Iordanes cruentam
Vertit aquam caput amne condens.
Infanticidæ Regis atrocitas
Audita Idumæ eſt, cum lachrymabiles
Lugentium fruſtra querelæ
Sydera clara poli ferirent:
Cum caſſa fletu præſidia edito

Captaret infans, ceu vitulus tener
Tollente rugitum leone
Inualidam fugit ad iuuencam.
At matre ſummota, exitiabili
Prædam minorem dente premit leo,
Raptímque diſcerptis voracem
Viſceribus ferus implet aluum.
Verſu at minuto ne triuialiter
Res perſequamur tam memorabiles,
Sunt iſta Germani cothurno
Grandiloquo referenda Brixii.
Sufflaminanda eſt ingenii rota,
Ne confragoſis implicita orbitis
Frangatur, aurigámque cæcis
Attonitum in ſalebris relinquat.

Carmen natalitium ad Georgium Seluam pontificem Vauren.

Hactenus feſto celebrare cantu
Hunc diem ſolenne mihi Georgi,
Qui Deum humana ſpecie labanti
Protulit orbi.
Sors pium mutet quid iniqua morem?
An ſi inexhauſtis premar ipſe curis
Torpeam infœlix, neque verba CHRISTO
Debita dicam?
Non in hybernis Scythiæ pruinis,
Sarmatum aut denſis niuibus ſileſcam:
Non, graui ſi me regio perurat
Subdita cancro.
CHRISTE par ſummo ſoboles Parenti,
Quatenus noſtros niſi ſumis artus,
Quas tibi laudes chelys iſta, quóſve
Concinet hymnos?
Quippe tu mundi è melioris aula

Matris illabens gremio pudicæ,
Nudus hausisti puer has inópſque
AEtheris auras.
Editum anguſtis tuguri ruinis,
Inque præſepis medio repoſtum,
Ecce bos ſupplex aſinúſque bruto
Calfacit ore.
Non tamen deſunt Superûm choreæ,
Non ibi inſontes ouium magiſtri,
Non Magi longè roſeos ſecuti
Syderis ignes.
Virgini auguſtæ ſaliiſſe quantis
Gaudiis pectus tacitum putemus,
Cum nouum vectigal ab vſque Eoo
Sumeret Indo?
Cum caſæ vilis gelido iacentem
Angulo natum thyaſi Angelorum
Cingerent, læta canerent bubulci
Carmina voce?
Hæc tibi ſpretis veterum Deorum
Fabulis dicenda magis Georgi,
Hæc tuo Antiſtes ſtudioſe vatum
Ore canenda.
Iam ſuas, Muſæ tibi opes recludunt,
Téque Parnaſſi iuga ad alta ducunt,
Iam tua vndanti rigat Hippocrene
Guttura riuo.
Tum velim ſancto comes eſſe vati,
Et lyræ dulces tetigiſſe chordas,
Rite tum charo præeat Sacerdos
Selua Macrino.

In eodem natali Domini noſtri IESV CHRISTI.

Lux ô lætitiæ, & fructus fœcunda beati,

Augusta ter, ter maxima.
Quo te iampridem celebrem pæane voluto,
  Quo dithyrambo concinam.
Obruor immensa sed maiestate, tuóque haud
  Effabili mysterio.
Et mecum, quid ad hæc cælestia lumina verto
  Oculos sopore marcidos?
Quid versus inopes rerum delirus & amens
  Nugásque inanes fundito?
Attonitos video quanta caligine sensus
  Inuoluat hæc æternitas
Virginis in gremium cælo demissa pudicum,
  Vt seruet humanum genus,
Humanum genus heu primorum errore parentum,
  Sæuóque morsu perditum.
An non nobile opus desunt mihi verba stupenti,
  Hærétque lingua faucibus?
Quid frustra ingenium crucio, Musásque fatigo
  Oneri ferundo non pares?
Non si Cyrrhæis specubus Delóque relicta
  Immigret in me Cynthius,
Proluat & toto me gurgite Castalius fons,
  Fons aut volucris Pegasi,
Possim vel minimam meritorum attingere partem
  Huiusce partus aurei
Virgo virginibus quo pulchrior omnibus vna
  Intacta Christon edidit,
Non segmentatis ornata puerpera lectis,
  Opulentiores vt solent.
Rupis at excesæ dorso informíque cauerna
  Parit beata filium.
Vilia bos circum & pandus præsepia asellus
  Lambunt puellum cernui.
At terra & rutilus resonat concentibus æther,
  Lætíque plaudunt Angeli:
Mellifluo quorum iussi sermone bubulci

Visunt recenter editam
Progeniem cæli, & munuscula supplice dextra
Castæ parenti porrigunt.
Tres etiam Eoo venere Heroes ab orbe,
Stellam secuti lucidam,
Qui puerum rerum Dominum authorémque fatentur
Per dona largi mystica.
Hæc inquam meditor, verbísque efferre laboro:
Sed vota vires deserunt.
Quod tamen exigua tibi Rex æterne Camœna
Diuæque matri pangimus
Sume fauens, animúmque nouis hortatibus imple,
Vt te inuocemus iugiter,
Et natalitio hæc referamus gaudia cantu,
Gratésque agamus debitas,
Quòd celso è solio cælíque decemplicis aula
Stellis micante lucidis,
E'que sinu veniens Patris omnipotentis honoro,
Terras ad has descenderis:
Et non horrueris nostræ indumenta figuræ,
Aluum & subire virginis.
Scilicet vt sumpto mortali corpore, tandem
Pœnas Parenti penderes
Humana pro gente, crucem sublatus in altam,
Clauísque fixus ferreis.
Atqui isto interitu Barathri est euersa tyrannis,
Salus & homini reddita.
Proinde tibi grates agit immortaliter omnis
Piorum IESV Ecclesia.

De casa in qua CHRISTVS natus est.

Clarauit olim si modicum larem
Ingens Molorchi pauperis Hercules,

Fumosa si Theseus egenæ
Tecta Hecales, inopémque mensam:
Quanto magis Rex Cælicolûm & sator
Hanc CHRISTVS ipsam nobilitat casam,
Non hospes vnius diei,
Aut dape fortuita refectus?
Hic matre natus virgine vagiit
Intérque asellum nudulus & bouem,
Hic lactis haustum purioris
Ore puer sitiente duxit.
Hic Angelorum turba hilaris melos
Cæleste fudit, hic ouium duces
Rerum salutarunt Monarcham
Lanigeris gregibus relictis.
Hic obtulerunt munera Reguli
Myrrhámque & aurum thúsque friabile,
Stellæ iubar clarum secuti
A roseis orientis oris.
O terra fœlix Bethlemiotica,
Intaminatæ prole puerperæ.
Cessere, se vinci fatentes,
Cretáque iam, stabilísque Delos.
Tu caltha & albis florida liliis
Mollísque vernes perpetuum rosa:
Te Regis altricem supremi
Mellifluæ memorent Camœnæ.
At vos herilem Christiadæ locum
Læti frequentate, hic Deus hic Deus
Dignatus abiectis oriri
Semiruti tuguri ruinis:
Omnes doceret pauperiem vt pati,
Exempla Princeps insolita exhibens,
Rebúsque contentos pusillis
Temnere opes, nimiúmque fastum.

Ad Virginem matrem.

Diuinæ ſobolis ſancta puerpera,
Fortunata parens, virgo perenniter,
Argutis citharæ tu quoque concini
Es digna AEoliæ modis.
Incunabula nam cum pueri aurea
AEterni lyrico carmine dixerim,
Paſtorum obſequium, viſáque Regibus
Aſtri lumina præuii,
Vt fœtam ſupereſt laude feram ſua,
Et magnæ tribuam munera Virgini
Spectanda haud pretio, at qualia ſcilicet
Vates exiguus poteſt.
Optarem altiloqui Mæonidæ forent
Nunc fœcunda mihi pectora, verſibus
Poſſem mirificis quo noua tam ſacri
Partus dicere gaudia.
Vires deficiunt, hei mihi, debiles,
Tantíſque ingenium rebus inops labat,
Hæc cantanda licet Virgilii tuba
Non plectro gracili dies.
A ſummo haud ſed enim numine degener,
Cuius tot radias munere dotibus
Illuſtrata, boni conſulis omnia, &
Affectum modo reſpicis.
Per partus igitur lumen Olympici
Lac mammæ precor & virgineæ, tuus
Vati vt ſupplicis auxiliaribus
Succurrat mihi filius.

De Franciſci Regis victoria, ad Muſas.

Auribus ſiquid ſtudiiſque dignum
Optimis Diuæ ceciniſtis vnquam,

Galla quod fixum memori teneret
Mente iuuentus:
Voce quod dulci teneræ puellæ
Coniugum in molli gremio referrent,
Et senes festa quoties soluti
Luce sederent:
Nunc nouæ chordis citharæ, nouóque
Pectine expressum reuocate carmen,
Nec neget doctis Helicon aperta
Vatibus antra.
Nanque Rex prono Superûm fauore
Hoste Franciscus domito, vrbibúsque
Impigre tota Insubria receptis
Marte secundo,
Patrios victor repetit penates
Diues aggestis spoliis & auro,
Ac sacris votiua pius reponit
Munera templis.
Editis pendent inimica tela
Arcubus passim, galeǽque inanes,
Quǽque de fusis rapuere Celtæ
Signa maniplis.
Compitis ætas epulatur omnis,
Igne & accenso choreas in orbem
Ducit, ac potans pateras recenti
Flore coronat.
Inter & lautæ repetita mensæ
Vina, præclari Ducis vsque laudes
Concinit sacras, Pylios eidem
Optat & annos.
Sic ferox AEuan Oriente victo,
Aureo curru, variísque celsus
Lyncibus, læta ad patrias reduxit
Agmina Thebas.
Punico sic & iuuenis triumpho

Scipio prædam Libycam reportans,
Templa Tarpeii Iouis alta, picta in
Veste petiuit.
Macte procinctu studiisque Princeps
Martiis, Alpes hyemem sub ipsam
Qui niue obstructas aperis, & acri
Frangis aceto.
Tum notas demum titulósque nostris
Antè præfectis Ducibúsque inustos
Vertit aspirans Deus, & superbum
Contudit hostem.
Ergo te charæ patriæ parentem,
Laurea insignem pie Rex corona
Efferant Musæ, & monumenta rerum
Tanta tuarum.
Se tuæ aptabunt, mihi crede, laudi
Posteri, tantas neque res silebunt
Acta Francorum, & memorata longis
Secula fastis.
Nos quidem quantum modicæ valebunt
Ingeni vires sterilisque vena,
Ista nitemur celebri nepotum
Tradere famæ.
Vos modo arcano reparate Diuæ
Pectus afflatu, & mea vatis ora
Ferreo pulmone adamantináque
Voce ciete:
Voce quæ Phœbi per vtranque metam
Regis æternet generosi honores,
Triste nec fatum, cariémve longi
Sentiat æui.
Spem bonam certus refero, quod imis
Læta mens gestit calefacta flammis,
Et mihi visi tripodes sacro cum
Colle moueri.

De amore erga Deum ad Ren. Fabricium Iuliodunen.

Vere ſcripſerat antè Martialis
Marco neſcio cui ſuo ſodali,
Viciſſim vt quis ametur, eſſe amandum.
Hæc certe ratio Renate noſtræ
Iucundum patriæ decus, valebit
Summum erga Dominum Patrémque rerum,
Rite cui poterit litare nemo,
Nemo impendere debitos honores,
Et gratus fieri obſecratione,
Vt par eſt: niſi eum colens amarit,
Affectúmque animi dicarit omnem.
Nanque vt anteuenit Deus, priórque
Nos complectitur, occupans, amore:
Sic (vt conueniens quidem ac peræquum eſt)
A nobis cupit inuicem ille amari.
Quo amabit modo enim Deus colentem,
Si viciſſim ab eo ipſe non ametur?
Noſter ergo amor offerendus illi eſt,
Illi affectio conſecranda mentis,
Quando præueniens amauit omnes,
Et nos ſanguine filii expiauit.
Eius CHRISTVS enim eſt amoris arra,
Verum ſymbolum, & abſolutus index,
Cui ſit cum Patre Spiritúque ſancto
Laus indiuidua & decus perenne.

De ſeipſo, & vitæ caſibus.

Quot ſubiecta hominum eſt vita periculis!
Voluunt terrigenas quàm variæ vices!
Vt ſe inſuauia miſcent
Noſtris tædia gaudiis!

AEtatem teneram matre sub optima
Indulgenter agens, læta pueritiæ
Stultus tempora triui
In ludis iuuenilibus.
Paulatim inde domi factus adultior,
Flagrantem Aonios flexi animum ad choros,
Apprime & mihi cordi
Vatum blanda fuit chelys.
His cum essem assidue deditus artibus,
Et nonnulla meæ fama Polymniæ
Francas sparsa per vrbes
Paucis versibus editis:
Antistes Biturix diuitiis potens,
Et clarus Latiæ tegmine purpuræ,
Me illectum in sua tecta
Magnis pollicitis vocat.
Segni illic animum pressus inertia, &
Incumbens choreis quàm studiis magis,
Musarum otia fugi,
Tam grata ante mihi otia.
Fecissem ô vtinam Dulichio vafer
Quod Laerte satus: remige dicitur
Qui Syrenia vinctus
Surdo enasse per æquora.
Ergo infrugiferis alite non bona
Mersus deliciis, dedidici miser
Quicquid gnauior ætas
Doctrinæ imbiberat prius.
AEquum est propterea mi veniam dari,
Hæc si nescio quid Musa opicum sonat,
Nec respondet ad ipsam
Primi temporis indolem.
Annis quid senii quod grauioribus
Dum spero requiem, dum mihi ferias,
Vela & vertere portum

Ad mollem meditor catus:
In triſtes ſcopulos vrſit atrocior
Tempeſtas rapido turbine naufragum:
Me bacchante procella
Pene & præcipitem dedit?
Cum illis ſolliciti viuere cogimur,
Qui ferro atque hominum ſanguine gaudeant,
Quorum immanis egeſtas
Præda explerier haud potis.
Quid lites fugere heu profuit hactenus,
Quid pacem vſque ſequi,& Pieria otia,
Si inter cæde madentes
Viuendum eſt mihi milites?

De virgine Maria.

Florida deinceps referam Camœna
Ex tribu Regum Mariam creatam,
Quam dedit mundo geneſis vetuſtæ
Neſcia culpæ.
Prole tam pulchra nimis Anna fœlix
Non tibi tantum,generi ſed omni,
Quanta diffuſa eſt miſeris per illam
Gratia terris!
Quare & aſſumptam ſuperos ad orbes,
Lucido gemmis ſolio locauit
Arduam,& iuxtim voluit ſedere
Altitonans Rex.
Illius vultu decoratur æther,
Et nitor ſtellis,radiiſque creſcunt,
Tecta vt obiecto melius coruſcant
Aurea Phœbo.
Principis ſalue veneranda ſummi
Mater,& lecti genialis expers
Virgo,laus nanque hæc tibi ſingularis
Congruit vni.
Vt feram cultas tibi cantiones,

Barbiti tangam quoties eburni
Fila, da plectro numeros loquaci
Frangere dignos.

Ad Gelonidem vxorem de concordia coniugali.

Vinclis amoris connubialibus
Vxor marito iuncta fideliter,
Cui rebus in cunctis voluntas
Vsque eadem est, animúsque concors:
Mallet cruenta quæ nece millies
Interfici, quàm legitimam stolæ
Fœdare matronalis vlla
Labe tori vetiti pudorem:
Si vita Diuûm munere longior,
Ampla & domi res suppetat affatim,
Dulcésque risus liberorum
Obstrepitent patrias ad aures:
Quot præbet ipsi gaudia compari?
Quanta hinc voluptas nascitur & quies?
Quàm molle curarum leuamen
Siqua minus cecidere læta?
Sic vixit olim, Dardana quàm prius
Ad bella læua pergeret alite,
Vxore ter fœlix amanda
Phyllacides, thalamóque casto.
Regi Pheræo dedita sic fuit
Alcestis vxor, morte vicaria
Vt fata frigentis leuarit,
Próque mori tulerit marito.
Et nupta Caris splendida Satrapæ
Fama celebri tempus ad hoc viget,
Quæ dite construxit sepulchrum,
Ore, viri cineres & hausit.

At ſi moleſto diſſidio domus
  Tumultuetur, prauáque iurgiis
  Matrona clamoſis frenuiſcat,
  Iura tori neque ſancta curet:
Verſatur illic Cerbereus furor,
  Diſcordia horrens Cyclade ſciſſili
  Bacchatur, incinctǽque diris
  Eumenides dominantur hydris.
Teſtis Thyeſtes, & Pelopis nurus
  Inceſta, Lemni & fœmineum nefas,
  Abſorptus ad Thebáſque merſis
  Amphiaraus humo quadrigis.
Quid notius quàm trux quæ in Iaſona
  Medea geſſit, munera flammeis
  Imbuta cum miſit venenis,
  Diuitias Ephyréſque vertit?
Incendio Rex interiit Creon
  Ambuſtus illo coniuge cum noua,
  Dextráque crudeli parentis
  Innocui periere nati.
Hortatibus non quòd ſit opus meis
  Hæc explicaui: at gratior vt foret
  Qua vincta mecum pax fidéſque
  Me mihi chara magis Geloni.

Ad Hilermum Bellaium toparchum clariſſimum.

Poſtquam conſtitui domi manere
Propter tædia morbidæ ſenectæ,
Infeſtum & grauis herniæ laborem,
Nec me poſſe vagos ſequi Tetrarchas,
Nec tam incommoda ferre dura vidi:
Ne me Pieridum choris ſalutem
Dixiſſe, æréve dirutum putares

Non vltra Aoniis merere castris,
Istæc militiæ prioris acta,
Hoc est carmina pauca dedicaui
Bellai tibi, mihi cum fuisses
Dux & signifer hisce semper armis.
Quæ si pumice sint polita nullo,
Ascribes cumulo molestiarum
Quæ me angunt, ideo quòd appetente
AEtatis senio magis magísque
Morbis discrucier laboriosis.
Assuetum tamen Ennium poetam
(Esset cum podagræ dolore tortus)
Versus conficere, & tuba duella
Grandi gesta ferunt sonare quondam.
Impar sim licet Ennio, doloris
Nonnunquam in medio mei poetor,
Angorem & fidium canore solor.
Sic (vt maxima conferam minutis)
Cum Briseida peruicax Achilles
Raptam à Plistenide doleret olim,
Mœrorem lyricis modis leuabat.
Siquis ne faciam vetet poema,
Méque à dulcibus arceat Camœnis,
AEgrescant magis ac magis dolores,
Vix mensem & fuero superstes vnum,
Curarum agmine tædióque morbi,
Qui me deside conficit veterno.

Ad Helenum Chærestium sororis filiũ.

Elige angustos agedum penates,
Linque Chæresti fora, pelle curas,
Curua si cordi est lyra, Thespiarum &
Sacra Dearum.
Est tibi ad Launi viridans agellus,
Victites in quo procul à tumultu

Ciuium, cuncta & fugitans honorum
Grandia vites.
Consulent fortasse aliter parentes,
Quos mouet flatus popularis auræ,
Quique egestatem reputant supremum
Esse malorum.
Degere at parco tenuique victu
Ipse iam primis didicisti ab annis,
Et leuem fumum, & procerum superbos
Temnere fastus.
Plurima in magnis opibus pericla
Esse te sacræ docuere chartæ,
Propriæ si cor tamen vlla tangat
Cura salutis.
Notus & cui non epulo ille diues
Ignei fundo Barathri sepultus,
Dum dapes lautas amat, & suauis
Gaudia vitæ?
Ebrii fuco Tyrio tapetes
Tonsiles, mensas citreas tegebant,
Omnis argento domus enitebat,
Omnis & auro.
Ille sarrano recubans in ostro,
Bacchicum gemma laticem bibebat,
Quicquid & rarum sapidúmque auaro
Ventre vorabat.
Sæpe conuiuis peregrina vina
Persicóque escas dedit apparatu,
Adiacens dixit regio omnis illum
Sæpe beatum.
Interim tetra scabie vlcerosus
Lazarus, tabens senio, faméque,
Ante consedit nitidas Toparchi
Diuitis ædes.
Esui & præberi aliquid poposcit

Voce clamosa querulóque fletu,
Siquid è mensa Domini supersit
Vbere dandum.
Auribus surdis abeunt ministri,
Nec viri quisquam precibus mouetur:
At canes, eius medicante lambunt
Vlcera lingua.
Signa vix se per duodena Titan
Voluerat, cum mors inopem corusco
Sustulit cælo, piceásque ditem
Misit ad vmbras.
Qui polum tollens oculos ad altum,
In sinu vidit genitoris Abræ
Lazarum, diuorum epulis in alma
Luce fruentem.
Tum rogat patrem lachrymanter Abram
Lazarum, vt mittat stygios ad ignes,
Qui sitim sedet riguæ cupita in-
spergine guttæ.
Inter hunc & te (Pater inquit) ingens
Est chaos, densæ in medio tenebræ,
Hinc inaccessus superísque manes
Callis ad imos.
Nuper ad votum tibi res fluebant,
Lazarus rursum mala multa passus:
Ille nunc gaudet, gemis æstuoso
Mersus Auerno.
Terreat res hæc homines repostis
Semper assuetos inhiare gazis,
Splendide ornari, genium affluenti
Pascere luxu.
Ingeni vires hebetat sagina,
Gloriæ fulgor stolidos inescat:
Hæc caue, missa & face, delitescit
Anguis in herba.
Prædiis posthac ego Launianis

Téque contenti, supereſt quod æui
Ambitum citra placida exigamus
Pace fruentes.
Non enim cuidam male ſuaſit olim
Pindarus Creti, tenuem vt cupreſſum
Diligat, ſyluæ patriam feracem
Linquat opacæ.
Cui ſua arrident lare rura paruo
Vrbium turba procul otianti,
Perperam huic certe prope cauſa agendi
Tollitur omnis.
Quod libet ſi non licet, hæc velimus
Quæ probat virtus, ratio ſuadet,
Nec ſibi elumbis ſinuoſa laxet
Fræna voluptas.
Tam fuit nulli tenuis ſupellex,
Parua tam nulli domus, arcta réſque,
Quin adhuc pauper mage poſt fuiſſe
Funera vellet.
Plura cui Cæli Dominus talenta
Credidit, reddat rationem vt ille
Plurium par eſt, magis hácque onuſtus
Luce recedat.
Rebus inſtructi modicis vterque,
Fortiter caſus toleremus omnes,
Et lare anguſto Dominum fideli
Mente colamus,
Qui ſtatus fixis humiles ocellis
Deſuper ſpectat, neque commouetur
Principum gazis opulentiorum, aut
Diuite luxu.

Ad Stephanum Aqueum toparchum clariſs. de Epiphania.

Hac luce Reges purpurei Deum
Videre cunis factum hominem ſuis,
Aurũmque, Orontæámque ſtacten,
Et tribuunt Nabathæa thura.
Hac luce lymphæ conſtituens ſacræ
Baptiſma CHRISTVS, limpida cæruli
Iordanis intrauit fluenta,
Primus aquis, voluítque tingi.
Hac luce coram diſcipulis nouis,
Et matre dia vertit aquam in merum,
Cum lege menſas nuptiali
Extrueret Galilæa Cana.
Myſteriis hæc clara tribus dies
Vatum piorum rite epigrammatis
Laudata cantari meretur,
His melicis Aquee & Camœnis.
Patri ſit almo gloria perpetim,
Eiúſque proli, Spiritui & ſacro,
Quos mente conſtanter fideli,
Tres numero & profitemur vnum.

Ad virginem Mariam.

Natus & quis tam genio ſiniſtro
Vt tuas laudes patiatur ægre
Virgo, quæ primam nec habere es vnquam
Viſa ſequentem?
Lilium vepres velut albet aſpros
Inter, & ſpinas roſa munda duras,
Aureas ſic tu Galilæis inter
Nympha puellas.
Concipis quem olim puerum, pariſque
Abſque congreſſu genitrix virili,
Rebus in noſtris agat vt remiſſo
Iure precamur.

De Iano Laſcare Rhyndaceno.

Hic frigeranti ſub nemorum coma,
Antrique grato margine roſcidi,
Sol axe dum ſummo, leuiſque
Sylua virens agitatur aura:
AEſtum Napææ dũmque agiles leuant
Molli ſub vmbra: & ſicubi vitreis
Fons purus erumpat ſcatebris,
Nuda lauent vbi membra, quærunt.
Hic ſtratus inquam, tu modo non neges
Regina eburnam Calliope chelyn,
Plectrũmque, vocalẽſque chordas,
Et fidibus ſocianda verba:
Heroa dicam Laſcarin, editum
Auguſto auorum ſanguine Cæſarum,
Quos inter excellunt ſubactor
Sithoniæ Theodorus oræ,
Ianũſque prudens. Horum ab origine
Clarus, iuuentæ tempora tranſigit
Non otio, imbellíve luxu,
Sed patriis eques acer armis.
Spe liberandi Boſphorus alluit
Quas preſſus arces, regnâque Dorica,
Oppreſſa Turcæis tyrannis,
Dura maris mala, dura terræ
Perpeſſus olim. nil vbi opis videt
In Chriſtianis Regibus, & ſuam
Deſperat à victoris armis
Poſſe via patriam eripi vlla,
Ad liberales protinus impigre
Conuerſus artes, ſcilicet otio
Ne ſegnis indigno periret
Vis animi genaroſa magni,
Pandi leporem, & mella poetica,

Et diſciplinas Socraticæ domus
Mox(poſſet vt mirum videri)
Mente auida ſitienter hauſit.
Tum Phœbus illi cæſariem ſacra
Lauro reuinxit: vóſque Deæ nouo
Vati ora Permeſſi liquore, &
Caſtaliis ſatiaſtis vndis.
Tractu inde longi temporis aulica
Spectatus inter ſæpe negotia,
Regéſque, Tetrarcháſque ſummos
Conſiliis monitíſque iuuit.
Dilexit omnes, omnibus inuicem
Dilectus, apta temperie ſciens
Condire feſtiuis ſeuera,
Triſtitiáque hilari verendus.
Fautor bonarum præcipue artium,
Quas ſic amauit, cætera vt omnia,
Dum poſſet abiectas fouere,
Ferre & opem modo, poſthaberet.
Si te dediſſent aurea Laſcari
Gratæ priorum ſecula Græciæ,
Nunc nomen heu virtus inane
Cum fuit in pretio, tuliſſes
His digna factis præmia, & vt vagus
Tot nationum regna per, Hercules,
Libérque, Ledæíque fratres,
Marmoreis colerere templis.
Laudare quiſquis quandoquidem volet
Te par vti, omnes colligat omnium
Qui ſunt virorum, qui fuerunt,
Vnus vt iis cumulere, laudes.

Pſalmi CXIX. paraphraſis.

Clamaui ad dominum dolore preſſus,
Curarum & vario volutus æſtu:

Mœſtas audiit ille mox querelas,
Ac placabilis affuit vocanti.
A prauis animam meam labellis
Illæſam tueare, liberéſque
A lingua Deus alme fraudulenta.
Nam lingua quid iniquius ſceleſta,
Concinnante dolos, calumniáſque?
Hæc carbonibus igneis, potenti
Iactis hæc ſimilis manu ſagittis.
Tam longo hei mihi ſum quòd incolatu
Inter viuere flebiles coactus,
In terra & peregrinus eſſe dura,
Inque angore meum comeſſe panem.
Cum iurgantibus inſciiſque pacis
Semper pacificus fui, loquebar
Et quæ pacis erant: at ii maligno
In me bella odio graues mouebant.

Ad Io. Bellaium Cardin. ampliſs. cum Romam proficiſceretur.

Ergo iter tritum toties recalcas?
Nec viæ terret labor vllus aſpræ?
Nec pruinoſum caput inſerentes
Nubibus Alpes?
Vndenam inceſſit tibi tantus ardor,
Ter quater Romam dominam videndi,
Quas & Hetruſca Tyberinus arces
Alluit vnda?
Non eo traxit tua te voluptas,
Vt ſolo dulcis patriæ relicto,
Inclyti quæ ſe titulis ſuperbis
Iactat alumni,
Tam procul chara toties ab aula
Cederes, linquens properante greſſu

Optimum Regem, procerúmque cœtus
Tristis amicos.
Te magis pacis ratio, reíque
Publicæ constans amor impulerunt,
Et fides regno in dubiis probata
Sæpe periclis:
Prorsus vt nullos fugeres labores,
Barbarum vel si Tanaim iuberet,
Si Tagum Princeps, refugósve Nili
Quærere fontes.
Nuper admissis properans veredis
Alpium euasti iuga iuncta cælo,
Quáque dux Pœnus superauit acri
Confraga aceto.
Proinde nil mirum tua si Sacerdos
Summus appendens merita examussim,
Docta velauit tibi florulento
Tempora cocco:
Si tui Princeps memor ipse (quanuis
Iane sis absens, procul & remotus)
Te tamen censu beet, ac merentem honoribus
ornet.
Perge Bellai pede perge fausto,
Quóque cœpisti, & patriam tuere,
Sospitem quæ te reducémque votis
Omnibus optat.

Ad Io. Sanellium Paulinum.

Seu tu Stentoreis vocibus intonans
Pubem Iane doces Iulioduniam,
Nec parcis lateri, dummodo literas
Purgatis bibat auribus:
Seu cella tacite clausus in abdita
Pangis suauisonis carmina versibus,
Versarísque Deas inter, Hyantii

Quæ Tempe nemoris tenent:
Eia ô differ opus protinus,& meis
Da nugis operam,pumice quas bene
Detersas tetrico Rutilii & tuo
In lucem edere cogito.
Has templi paries virginei sacer
Ostendat modica publice in assula,
Has & turba frequens prætereuntium
Intentis oculis legat.
Ne mirere tamen si toties mihi
Laudetur genitrix Regis Olympici,
Quando non alia est pectine dignior
Vatum argenteolo cani.
Hæc ignara viri ventre perintegro
Enixa est Dominum,& lacte aluit suo:
Illum inquam Dominum cui mare naufragum,
Terra obtemperat,& polus.
Si Pauline igitur credis amiculo,
Nugis posthabitis prorsus inanibus,
In totus Mariæ laudibus innubæ
Mecum plectra mouens,eris.

Ad Lazarum Baysium supremæ Curiæ Consiliarium.

Lumen supremæ Lazare Curiæ,
Legationis munere regiæ
Qui functus,æternum reportas
Patribus à Venetis honorem:
Turbæ imperitæ barbara factio
Quid moliatur prouidus aspicis,
Quantóque conspiret furore
Artium in interitum bonarum.
Quod ni patronum res te Heliconia
Sit nacta fortem,& vindice ni manu

Tutere, lorica trilicíque
Eius opes prope dissipatas:
De disciplinis ilicet omnibus
Quas liberales iure bono vocant,
Vtraque de lingua sit actum, &
Parisiæ studiis Mineruæ.
Atqui Herculano robore præditus,
Pulchráque adactus vi Sapientiæ
Consorte Budæo, profani
Monstra domas furiosa vulgi.
Contra loquacem barbariem tibi est
Contentio acris, iugéque prælium,
Constanter hostiles retundenti
AEgide Palladia tumultus.
Damni quid & res necubi musica
Defensor obstas, accipiat, vigil:
Et lucè librorum fugantur
Cimmeriæ tenebræ tuorum.
Ciuilibus tu lampada legibus
Præfers coruscam, nubila discutis,
Nodósque subtili latentes
Mentis acutæ acie resoluis.
Debet disertus causidicus tibi,
Debet iuuentus Lazare Gallica, &
Si nosse cui cura est biremes
Vsa quibus pelago vetustas.
Huius precamur propositi tenax
Artes bonas ô more tuo foue:
Sic Regis inuicti fauore
Semper honorifico fruaris.

Ad Gelonidem.

O meis hærens penitus Geloni,
(Sic Amor vati faueat) medullis.

Mecum & ô plus quàm Calybum perenni
Vincta metallô.
De fide quid ceu male derelicta
Hactenus certi quereris mariti,
Mœstáque insana sine lege plangis
Pectora dextra?
Pellicis forsan laqueis teneri
Suspicax reris, graue seruitutis
Quem iugum exercet, variísque curis
Aula fatigat.
De mea ne tu probitate quæso
Hæsites, fidus tibi ego atque constans
Quandiu dulcis reget hos manebo
Spiritus artus.
Seu mihi sedem rapido perusti
Sole Getuli, dederítque Leptis,
Quæque contorquet volitante nimbo
Syrtis arenas:
Seu latus mundi glacie rigescens
Iugiter tristi, niuibúsque densis,
Te velim solam, tibi mancipatus
Obsequar vni.

Ad Mellinum Sangelasiũ Horticlausi Antistitem.

Quid me Sangelasi vsque & vsque iurgas,
Configísque graui notatione,
Addictum velut oppidóque seruum
His sub imperiis Gelonidæis?
AEgrotis dare, dum valemus ipsi,
Rectum consilium solemus omnes,
In nostrísque malis subinde cæci.
Delicta alterius dracone Mauro,
Iouísque alite perspicaciores

Viſu figimus & notamus acri:
Nec quid mantica geſtet ipſa tergo
Olim reſpicimus ſeuere noſter.
Atqui ſi ſubito Macrinus eſſes,
Cenſeres aliter, nec obſequentem
Me Nymphæ nimium meæ putares.
Quam cur ſuſpicere atque amare porrò,
Et ſupplex grauer eſſe, ſubditúſque:
Cum Lucretia caſtitate dici, &
Forma Tyndaris elegante poſſit?
Vna hæc me leuat omnium laborum,
Et curas abigit moleſtiores:
Vna hæc delicias iocóſque tractat,
Ac vitam facit eſſe ſuauiorem:
Vna hæc denique fabuloſa quicum,
Quicum ſeria diuidam, ínque dulci
Conſuetudine cuius acquieſcam.

Ad Regem Franciſcum de morte Ludouicæ matris eius auguſtiſs.

Late patentis maxime Galliæ
  Franciſce Princeps, inuidiam Deis
  Iugi quid applorans querela
  Vſque moues, quòd adempta mater?
Illi modo illi, perpetuæ quibus
  Spes nulla vitæ, flebiliter gemant,
  Si forte turbarit penates
  Tecta nigro Libitina peplo.
Illi cupreſſo limina funebri
  Orbata velent, triſtia præficæ
  Lamenta nec deſint, nec alti
  Luxuries operoſa buſti,
Regina Carum ſic opulens viro
  Sepulchrum amato nobile condidit,

Quod deinde mirati extulerunt
Laudibus immodicis nepotes.
AEgyptum opimam, quáque papyrifer
Stagnante Nilus diluuio irrigat,
Ad ſydera educit minantes
Pyramidas locuples Amaſis.
Tu cui hiſce mater ſit data legibus,
Vt ſumma quandocunque neceſſitas
Diuûmque conſenſus vocaret,
Ad patrium reuolaret axem:
Longis laceſſas ne querimoniis
Decreta fatorum, & ſtabiles colos:
Neu more plebeio fatiſcat
Vis animi generoſa magni.
Regem atque vulgus non eadem decent,
Perſonam age ipſam reſpice quam geris,
Indigna maieſtas pudendo
Eſt tua ſuccubuiſſe luctu.
Sic illa vixit flere ſit vt nefas
Tam ſingularis funere fœminæ,
Admiſſa quæ menſis Deorum
Nectareos bibit ore ſuccos.
Quæ luce fœlix ætherea vagas
Nubes ſub ipſis nunc pedibus videt,
Ac iuncta Cæleſtûm quietis
Ordinibus tua regna ab alto
Cuſtos tuetur. Proin meritæ pius
Delubra viuo marmore conſtruas,
Et flaminem, & ſacros quotannis
Indigeti ſtatuas honores.
Nos turba vates Rex tua, debitas
Laudes canemus, feſtáque carmina,
Nec facta deleri parentis
Immemori ſenio ſinemus.

Ad Charilaum filiolum febricitãtem.

Tếne depaſcens Charilae febris
Bimulum irretit? teneros per artus
Cæca graſſatur rabiéſne aduſtis
Inſita venis?
Quis patrem poſthac redeuntem ab vrbe,
Blæſulo arridens hilarabit ore,
Inque conſtricta iniiciet tenaces
Colla lacertos?
Iam tibi veſtes hyali colore
Mater infectas, croceóque luto,
Balteum intexto graphicum Gelonis
Neuerat auro.
Tinnulis eccui crepitacla bullis
AEquoris baccis opulenta rubri:
Eccui ebur fabra dabitũrque buxum
Arte politum?
En Philus villo niueo catellus
Aſſidet cunis domini iacentis,
Atque qua morbum potis eſt querela
Luget herilem.
Hic mouet nil te Charilae fili,
Nil fluor notæ riguus papillæ,
Quæque vagitus cohibebat ante
Nænia mœſtos.
Quo tuum papare abiit minutum?
Quo tener riſus ſaliente corde,
Venit ad fratris quoties Suſanna
Garrula cunas?
Gaudia in planctum tibi verſa morbo
Sunt graui, pallor, maciéſque vultum
Efferat, functi tenuis videris
Corporis vmbra.
Soſpitem ô febri fugiente reddat

Te mea,& matris prece motus æther,
Sis vt ambobus baculus caducæ
Nate senectæ.

Ad Gul. Budæum libellorum supplicum in Regia magistrum.

Quòd magni reditus tibi feruntur,
Multis prædia quòd iugis coluntur,
Quæ non miluius ambiat volatu,
E multis mihi prædicaris vnus.
Quòd centum tibi serias suprâque
Digni Pontificum toris Lyæi
Explet vinea fertilis quotannis,
E multis mihi prædicaris vnus.
Quòd villa est tibi Marliana sculptu
Affabre,& variis polita signis,
Cultu & materiata sumptuoso,
E multis mihi prædicaris vnus.
Quòd vxorcula liberos pudica
Lætanti edidit vtriusque sexus,
Formosos,dociles,amabilésque,
E multis mihi prædicaris vnus.
Quòd te fert oculis amâtque Princeps,
Magistratibus euehítque claris,
Committens tibi supplices libellos,
E multis mihi prædicaris vnus.
At quòd Romuleos premis nepotes
Rerum notitia eruditiore,
Acri acumine,lectione iugi,
E paucis mihi prædicaris vnus.
Quòd Graiûm lepida elocutione
Sic præstas,mediis vt ortus Argis
Possis Pallados aut in vrbe credi,
E paucis mihi prædicaris vnus.

Manans corda riget desuper arida.
Vltro tu miserescere
Assuetus, veniam das lachrymantibus.
Nam pleni opprobriis sumus,
Et sannis anima est nostra potentium
Heu mordacibus obuia,
Fastu qui tumido despiciunt, inops
Passim quicquid & infimum est:
Ex iis eripe nos, atque iterum assere
Regni in lætitiam tui,
Perfundens supera pectora gratia,
Sancti nominis in decus,
Et cælestis honorem omnipotentiæ.

Ad Virginem CHRISTI matrem.

Mater Tonantis, virgo eadem simul,
Salute fausta quam leuis aliger
Charam Deo ostenditque, & omnes
Ante hominum genitas beatam.
Natura victam se stupet, & suas
Leges refringi mussitat insolens,
Scitata quo fiant magistro
Tanta opera, aut quibus architectis.
Humor pudica lacteus affatim
Mamma scaturit, virgineo sinu
Gestásque adorandum puellum,
Quem nequeat capere omne cælum.
Miranda partus gaudia floridi,
Normámque matrum transgredientia!
Ignara congressus virilis
Nympha parens puerum edidisti.
Te casta laudent ora fidelium,
Te consalutent Angelici chori,
Quæ Regis æterni coæuam
Innuba progeniem tulisti.

Tu Mosis ardens legiferi rubus,
Quem lambit ignis, nec tamen officit,
Tangenda tu nunquam prophanis
Arca Dei manibus supremi.
Signat pudorem virgineum rubus
Illæsus igni, & te ô genitrix pia,
Florente semper puritate,
Viuificum peperisse fructum.
Sacrarium te Rex fidicen vocat,
Dei parentem te Esaias canit,
Te montem inaccessum propheta,
Quem timuere lacu leones.
Te cæli honorât terra puerperam,
Laudûmque festis plausibus euehit:
Dum viuet, almam te Macrinus
Ipse suis celebrabit hymnis.
Non vlla nam mi pagina gratior,
Titillet aut quæ pectora valdius,
Cantamini quàm qua decenti
Túque puérque tuus Camœna.

Ad Maturium Berenicum Iuliodunen.

Maturi AEoliis dedite cantibus
Iam tum inde à teneris primitus vnguibus,
Dic quanta ex lyrico carmine gignitur
Ludenti tibi suauitas:
Seu te fixa polo sydera lucido
Pulchro constituit quæ Deus ordine,
Seu sacram historiam efferre magis iuuet
Lucæ Euangeliographi?
Hoc præclarius, hoc crede beatius,
Quàm si vulnifica belligerum latus
Accinctus framea, compita cursites
Noctu impune per vrbica.
Nimirum hinc referes vulnera sœpius,

Incurres miser in multa pericula.
Illinc ætherei florida præmii
Contingent tibi gaudia.
Quocirca monitis si fueris meis,
Necnon consilio moriger vtili,
Constanter facies quod facis,& piis
Incumbes studiis libens.

Secundi libri Hymnorum finis.

Salmonii Macrini IVLIODVNEN. Cubicularii Regii Hymnorum liber tertius.

Ad Io.Bellaium S.R.E.Card. amplis.

Nulla pingatur mihi cartha posthac
Magne Bellai sine te, gerátque
Omnis augustum liber hoc & illo
Margine nomen.
Nonacris Perseo fuerat quod Harpe
Gorgonis contra furias Medusæ,
Ramus AEneæ Stygias petenti
Aureus vmbras:
Hoc erit Vati tua clara virtus,
Nominis necnon titulus verendi

AEmulos contra, rabidǽque sæua
Toxica linguæ.
Pharmaco ſcite medicatus illo
Nil ego aduerſas trepidabo peſtes,
Quǽque conſuerunt mala faſcinantes
Gignere Diræ.
Quin tui cenſus ope fultus omni,
Hactenus nullis carui ipſe rebus,
Multiplex vitæ quibus exigendæ
Vſus egeret.
Hæc bonæ vobis referam Camœnæ,
Inque membranis perarabo raſis,
Vos piis porro ſtudiis nepotum
Tradite famæ.

Ad diuam virginem Mariam.

Migrate hinc procul ô procul prophani,
Nec ſolennibus intereſte ſacris
His nondum thyaſis inaugurati:
Cantanda eſt genitrix mihi Tonantis
Cælo laudibus, & ferenda veris
Fœliciſſima virginum atque matrum.
Vos caſto huc ſed enim venire greſſu
Fas, quicunque pii, & fauere lingua,
Et feſta requiete feriari,
Dum vates Mariæ poema pango
Matronǽque poli, puerperǽque,
Tactus neſcia cum virilis eſſet.
Romana meditans melos Camœna,
Muſæis operor focis ſacerdos,
Nomênque indigito parentis almæ,
Cuius viſcera delibuta ſancti
Dio chriſmate Spiritus tulerunt
Cunctarum artificem arbitrûmque rerum,
Authorem veniæ, ducem ſalutis.

Ecquo mi intima mens anhelat œstro?
Quo præcordia concitantur æstu?
AEdes tota tremit, tholíque vibrant,
Subsultim sacer & tripus mouetur,
Ac tinnitibus affremunt lebetes,
Numen credite, numen ipse cerno,
Et magnæ radiis parentis afflor.
O cæli decus integella Virgo,
Diuinæ sobolis beata mater,
Claro sydera cui nitore cedunt,
Tithoni senis & decora coniux,
Et cum candidula sorore Titan:
Quæ candore ebur, & niuem recentem,
Et marmor Parium, premísque conchas
Rubro quas legit Indus in profundo,
Et canentia lilieta veris,
Et mulctralia lactis alba puri,
Vel si candidius quid esse possit.
Te Princeps sibi sempiternus ille,
Cuius numine temperatur orbis,
Ex omni numero iuuencularum,
Et matrum grege destinauit vnam,
Voto ac sepofuit peculiari
Assumenti hominem parens vt esses,
Esses virgineo parens pudore
Illibabilis, ante munda & omnes,
Cuíque haud vlla parem videret ætas.
Optatum ô mihi non neges fauorem,
Argutæ quoties chelys sonoras
Plectro Lesbiaco fides refringam,
Pæana emodulans tibi dicandum,
O cæli decus integella Virgo.

Ad Franciſcum Regem de Maſſilia liberata & Borbonio fugato.

Quis te eſſe curæ maxime Principum
 Franciſce poſthac Cælicolis neget?
 Authore quis CHRISTO refellat
 Incolume hoc tibi ſtare regnum?
Id ſi profecto vnquam fuit antea
 Re comprobatum, ſi indubitabile,
 Hoc rerum inaudito tumultu,
 Hiſque adeò patuit periclis:
Cum Celtiberûm tranſfuga copiis
 Confiſus, vrbem Maſſiliam diu
 Obſedit, infauſtiſque demens
 Bella auibus ſcelerata mouit.
Concuſſa primis Gallia motibus;
 Prædonis auſus mœſta nefarios,
 Et non inexpertos timebat
 Militis occidui furores.
Mœrentis abs te Dux bone patriæ
 Pendebat vno præſidium & ſalus,
 Et te leuaturum ruinam
 Spes populis erat imminentem,
Si iuſta fortis bella capeſſeres
 In parricidam, & qua ditio patet
 Ad nomen edicto vocares
 Plebem alacrem, proceréſque dandum.
Teſtatus illum cuius ope imperas,
 Non ſtare per te, quo placida minus
 Pace omnis Europe fruatur,
 Gadibus à Tyriis ad Arcton
Iſtrique Peucen, multáque conquerens
 Huc te coactum, ſollicita induis
 Inuitus arma, & propter amnem

Castra locas Rhodanum, futurus
Tantisper illic, dum coeat manus
Externa, latæque agmina Franciæ,
Nauarrus & quas Rex agebat
Egregius iuuenis cohortes.
Huic tincta fuco Sidonio chlamys
Demissa tergo fulget, iaspide
Stellatus Eoa sinistrum
Cantabricus latus armat ensis.
Vt cœpta in hostem castra mouerier,
Iunctóque præceps ponte Druentia
Traiectus, & totam propinqua
Planities aciem explicauit:
Pugnæ futurum se ratus imparem,
Claudíque cernes Borbonides vias,
Discessit, obsessámque turpi
Massiliam effugio reliquit.
Terrore cæcos tum sine & ordine
A tergo euntes Galli equites premunt
Passim, impedimentísque raptis
Corpora multa virûm trucidant.
Nec luctuosis cædibus est modus
Factus prius, quàm exercitus hostium
Amfractuosam arcem Monœci,
Et scopulos Ligurum subiret.
Victis vt instes iam superest, neque
Coire rursum sparsam aciem sinas:
Persæpe nam neglectus ignis,
Exiguáque latens fauilla,
Incendium ingens flamine quamlibet
Paruo excitatus sustulit, auctus &
Paulatim in immensum, vorauit
Heu miseras rediuiuus vrbes.
Virtus tueri parta, nihil minor
Quàm parta nondum quærere: viribus

Contende Rex totis precamur
Continuare diu hos triumphos:
Fecere qui te Scipiadis parem
Carlóque magno, cuius adhuc ferox
Saxóque Thuringisque clara
Rite memor recolit trophæa.

Ad Gulielmum Mainum liberorum Francisci Regis præceptorem.

Inter illustres procerum cateruas
Viuere in summa poteramus aula,
Atque vestiri tenui Indicorum
Vellere Serum,
In foro causas celebri actitare,
Et reos linguæ eloquio tueri,
Vnde opes multæ mihi, & vnde merces
Cresceret ingens.
Extera naues onerare merce,
Et sinus mundi penitus latentes
Quærere, emptarum & pretio beari
Vbere rerum.
Captus at magno studio bonarum
Artium, vestróque Helicone Musæ,
Malui voti modicus paterno
Viuere agello:
Malui cultor laris esse parui
Rebus angustis animosus, inter
Liberos dulces, & amica notæ
Fercula mensæ.
Me mei nondum Gulielme moris
Pœnitet, largos capióque fructus
Instituti huius, placet & quietæ
Formula vitæ.
Quid quod & multi, tenues poetæ

Hasce fortunas, requiémque amœnam,
Præferunt Regúmque & Episcoporum
Censibus amplis?
Quòd frequentatur domus arcta doctis
Cœtibus, nostrum prece qui fauorem
Ambiunt proni, cupiúntque chari
Esse Macrino?
Publicæ grata vt monumenta ceræ
Vrbis oblatos sileámque honores,
Nec mihi raro cumulata ab ipsis
Munera amicis.
Hoc statu terra in patria Maine
Viuo, contentus nihil inuidenda
Sorte, natorum numero, & placenti
Coniuge fœlix.

Ad Deum Patrem.

Rerum summe Parens, cuius ope omnia
Tellus frugiferens passim animantia,
Ceu mitissima mater
Vescis frugibus educat.
Qui sole & pluuiis desuper imbribus
Fœcundas & agros, pascua & herbida,
Pisces amne marique,
Necnon aere aues alis.
Si quondam Isacidas dulce tibi genus
Vadentes Arabum per loca inhospita
Celsa largus ab æthra
Pauisti dape Cælitum:
Nullo cuncta potens semine si creas,
Et vitæ tribuis dona quibuslibet:
Nunc mortalibus ægris
Apta ô suffice edulia.
Nam nos plasma tuum, nos tua plebs sumus,
Aura te supera præside vescimur,

Nutrimenta precamur
Da te respicientibus.
Vt cum ceperimus quæ tua largitas
Indulgere solet, pectore mox pio
Necnon hymnifero ore
Soluamus tibi gratias.

Ad Almaricum Tyrellium auum maternum.

Almarice tuus nepos Macrinus,
Ingratus foret, admodũmque agrestis,
Et primæ immemor educationis,
Si de Castaliæ liquore lymphæ,
Quo Musæ faciles eum rigarunt,
Te prorsum duce præuióque ad amnem,
In præconia nil piásque laudes
Deriuaret aui, inter & vagantes
Plebeiorum hominum silenter vmbras,
Contempto sineret iacere busto
Inculpatam animam, sacrósque manes.
Tu cunabula nanque nostra princeps,
Tu parui teneros nepotis annos
Fouisti gremio subinde molli, &
Cum infantiliter impedita vinclo,
Balbutiret adhuc tenace lingua,
Tu vocis modulos rudes figurans,
Et blæsæ dociles sonos loquelæ,
Mi verba articulata suggerebas,
Pappare & præitor meum regebas.
Mox cum firmior esse cœpit ætas,
Doctrinæque capax politioris,
Tu per præmiola apta contumacem,
Luctantémque pati scholare frænum,
Inuitans modo eburneis sigillis,

Conditis modo ſaccharo placentis,
Nunc & paſſere, carduelibúſve,
Et volucribus id genus canoris,
Vt dempto ipſe metu libros amarem,
Rudimentáque diſcerem: auferebas.
At mors ecce tibi interim volatu
Furtiuo ingruit, eripítque terris
Te canum (fateor) ſenémque: ſed qui
Nelidem ſuperare dignus eſſes,
Longóſque Euboicæ dies Sibyllæ.
Hic orbata ſuo iuuenta ductu
Incœpit mea deſidere, chartis
Nec ſe dedere ceu prius ſolebat:
Vt cum pontiuagæ magiſter alni
Clauum deſeruit, vacillat illa, &
Toto naufraga fluctuat profundo.
Ecquæ his pro meritis tibi rependam?
Quo te carmine, proſequárque voto?
Circum odoriferi ſepulchra flores
Confertim veniant, leuíſque tellus
Compoſtis fiet oſſibus iacentis.
Nec Vrſonia non Philippa tecum
Quæ conſors thalami fuit, ſed vnà
Buſto molliter in cauo quieſcat,
Donèc iudicii vocet ſupremi
Cæleſtis tubicen, ſonánſque clangor.

Ad Nicolaum Britannicũ Campanum.

Mirum eſt quibuſdam, docte Britannice,
Multi rogant & quî fieri queat
Sacræ quis vt legis profeſſor,
Gnarus Apoſtolicáſque voces,
Plerunque viuat flagitioſius
Iis qui moleſtis arua laboribus
Fœcundà ſulcant, quíque nunquam

Pierios adiere fontes.
Spernuntur illo dogmata nomine
Diuina paſſim, multus & abſtinet
Euangelii à ſanctis Camœnis,
Motus ea ratione tantum.
Interpretantur non tamen æquiter,
Nec ſacra debent propterea male
Audire, quòd plures periti
Non, doceat velut illa, viuant.
Num qui coluntur frugiferi nitent
Omnes agelli? ſi ſolo inhuberi
Frugéſque dentur, num ſuopte
Protinus ingenio valebunt?
Fructum nec omnes ſic animi ferunt
Quanquam eruditi. Sed neque fertilis
Terra abſque cultura potis ſit
Lætificos peperiſſe fructus.
Sine altera ergo eſt vtraque debilis,
Vt CHRISTVS ipſis vocibus indicat,
De ſemine olim quas locutus
Diſſimilem in ſegetem cadente eſt.
Oremus omnes agricolam Deum,
Effœta noſtræ mentis vt apparet
Hæc arua, culturámque verbi
Iniiciens, det habere frugem.
Nos terra ſparſo debita ſemini,
Seménque verbum eſt, agricola & Deus,
Cæleſtis afflatu Fauonii
Semina ſparſa fouens & agrum.

Ad Deum, in aduerſis vt adſit.

O exercituum Deus,
Cæli excelſa ſuper culmina qui ſedes
Cinctus Spirituum choro,
Circúmque innumeris ſtantibus Angelis.

Tu solus Deus omnium
Regnorum, expositis qua spatiis patent
Telluris sola Dædalæ,
Et qua fluctiuago confraga rupium
Assultu mare verberat.
Tu stellata poli texta decemplicis,
Terrámque ex nihilo facis,
Nec par artificum est vlla tibi manus.
Aures quæso aperi tuas,
Mœstorum gemitum lugubrem vt audias.
Imas de Supero throno
Ad terras oculos flecte fauens, vti
Cernas quæ patimur mala,
Et nos sæuitia protege ab hostica.
A metis maris Indici,
Ad Phœbi occidui sera cubilia,
Numen solius ô tuum
Notescat populis orbem habitantibus.

Ad Philippũ Cosseium Pontificẽ Constãtien. Delphini magnũ eleæmona.

Pauperis vilem tegetem Molorchi,
Natus Alcmena celebrauit hospes,
Cum Cleonæi fera contudisset
Ora leonis.
Quam nisi intrasset generosus ille
Clauiger, longo & memor extulisset
Musa narratu, meminisset olim
Nemo fuisse.
Has quoque insignes mage reddis ædes
Pontifex, quæ te accipiunt, tuóque
Dexter aspectu, faciéque dulci
Tecta serenas.
Quin & extentis fidibus, chelyque

Obuius ſumpta tuus ecce vates
Audet intranti tibi dedicatum
Dicere carmen.
Cui tamen tantus precor inſit olim
O lepos, ætas adeóque viuax,
Hoſpitem vt noſcant mihi tè fuiſſe
Poſtera ſecla.
Fiet id: Phœbus neque fallit augur
Certus obſcuris dubiíſque rebus,
Et mihi laurus crepitu vſta fœlix
Præbuit omen.

Ad Carolum Caluum Iuliodunenſ.

Dum pabuloſæ regna Britanniæ
Inuiſis hoſpes, ditis & inſulæ
Tot phana diuorum decora,
Tot celebres ſpecularis vrbes,
Nos hic ſupini compoſito otio
Per læta vatis paſcua Daunii
Erramus, Andinos Matinæ
Inſtar apis, legimúſque flores.
At rura primum Gallica cum redux
Calcabis, & te noſtra Bononia
Spectabit aduenìſſe ſaluum,
Oceanóque alacrem remenſo,
Quæcunque charis mira ſodalibus
Narrabis, illa gente notaueris,
Maiórne ſit Princeps minórve
Principe Francigenum Britannus:
Anne Angla Celtis natio Martiis
Ciuilitatis laude domeſticæ
Antiſtet, an ſit conferendus
Vaſconico Thameſis Garunnæ.
Atqui aure nobis iſta bibentibus
Attentiori, ſedulus ingerat

Belnenſe fœcundum miniſter,
Quódque merum Genabi arua mittunt.
Sed barbara illinc iurgia ſint procul,
Nec more Thracum litibus improbis
Conuiua bacchetur, calentes
Impulerit ſimul ac Thyoneus.
Fuſi bimembres ſic Lapithis prius,
Dum vina mentem præcipitant nouæ
Vxoris in raptum, ebrióſque
Extimulant ad iniqua bella.

Ad Hilermum Bellaium cognomento Langium.

Muſarum columen, decúſque Langi,
Dulce & præſidium tui Macrini,
Si quæras quid agam procul remotus
A veſtræ & grege ſeparatus aulæ,
Dicetur tibi, verſibúſque paucis
Summa propoſiti mei pateſcet.
Non me ignauiæ inertiǽque dedo,
Aut indulgeo marcido ſopori
Muſtarum Endymion iuuencularum,
Nec delenificis doloſa Syren
Me vinctum illecebris tenet voluptas,
Præbens molle merum dapéſque raras,
Menſæ & lautitias opimioris.
Hæc peius cane, peius angue vito,
Et raro procul à domo recedo,
Cogar ne madidos ſequi, vagóſque,
Et turbam veterum ſodalitatum.
At contrà genium ſubinde fraudans,
Contractúſque domi, libros reuoluo, in
Gratiam & redeo nouem ſororum,
Quæ Pimpleide frigerantur vmbra,
Et caſtæ Aoniis lauantur vndis.

Doctis ingenium excolénſque chartis,
Vitæ damna reſarcio prioris.
Quo quidem in ſtudio acquieſco fœlix,
Quicquam ipſo neque maius eſſe duco.
Et ſic exhilaror, triumpho, regno:
Nunc demum vt mihi viuere ac fruiſci
Optati videar quiete portus.
Hoc tantum quòd abes, mihi moleſtum eſt,
Et ſim colloquii tui quòd expers,
Muſarum columen, decúſque Langi.

De pluuiis & tempeſtatibus, ad Deum.

Iam continenti prodigialiter
Septem dierum curriculo pluit,
Recluſa ceu nimbis ſit ingens
Imbriferi cataracta cæli.
Mortalium mens anxia iam metu
Antiqua Pyrrhæ ſecula cogitat,
Cum regna ſubmerſitque gentes
Fluctiſonis cataclyſmus vndis.
Iam ſtrata mœſtos agricolas ſeges
Angit, carent & fructibus arbores,
Decuſſit enatos furenti
Impete quos violentus Auſter:
Immobili ſeu lege neceſſitas
Humentis anni diluuium hoc mouet,
Imbres vt effundant in vnam
Signa meant & aquoſa ſedem:
Siue imminentis non dubium mali
Præſaga monſtrum Pleias ingerit,
Quo conſtet ô ſupreme Princeps
Te vitiis hominum eſſe læſum.
Sic cum Gigantum terribilis cohors
Titaniorum ſcanderet æthera,
Confiſa robuſtis lacertis,
Spéque nimis tumefacta vana,

Tu fontium ausis concitus impiis,
Missi tremendo fulminis impetu
Euertis vnà illos, onustis
Montibus impositósque montes.
Immanis & cum cæde Lycaonis
Offensus, orbem perdere destinas,
Iuges quaterdenis diebus
Humifico ruis axe nimbos.
Quod ni minuta Deucalion rate
Lectique consors Pyrrha biuerticem
Parnasson elapsi petissent,
Fatidicæ Themidôsque templum,
Iam tum procella vindice fluctuum
Vndæ obruissent omne hominum genus:
Sarcire mersorum ruinas
Nam ii lapidum potuere iactu.
At seu perenni lege necessitas,
Siue imminentis prodigium mali
Hæc flabra conuoluunt, grauésque
Horrisono tonitru procellas,
Tu maior illis atque potentior
Supreme Princeps, omnia numine
Curas inadstricto, tuûmque ad
Arbitrium, imperitásque fatis.
Audi obsecrantis proin lachrymabiles
Orbis querelas, & scelerum immemor
Compesce nostrorum furentem
Diluuiem, pluuiásque seda.
Præuaricantes sit satis hactenus
Luisse nos hæc, ob vitia improba,
Pacémque tranquillo petentes
Respice iam Deus alme vultu.
Sæuire culpis tot capitalibus
Læsum haud negamus te merito Pater,
Maiora & admissis fatemur

Supplicia esse adhibenda nostris.
Peccamus atqui si quoties velis
Punire sontes, teláque flammea
Torquere ab excelso, tua omnem
Ira breui vacuabit orbem.
Rex CHRISTVS olim cur hominem induit,
Duráque passus supplicium crucis:
Tete nisi vt mitem doceret
In populos, veniǽque largum?

Lætatur ob redditam serenitatem.

Post atros nebulis dies,
Et fœda imbriferis tempora flatibus
Austri iugiter humidi,
Mixta & turbinibus fulgura concitis,
Cæli grata serenitas,
Aurarúmque tepor lene strepentium,
Ac spissæ nemorum comæ,
Illimis tremula sicubi fons aqua
Præter prata virentia,
Conuallésque fugax labitur herbidas,
Ad scribendum animos mouent,
Et curuæ studium mi chelys excitant.
Non Mauortia vt audeam
Heroum fidicen dicere prælia,
Tristésque AEacidæ minas,
Quas rapta iacit iratus amicula:
Non vt Scipiadas equis
Inuectos niueis in Capitolium
Sapphus carmine concinam:
Hunc quòd Sidonium contuderit Ducem,
Victa & nomen ab Aphrica,
Primus Romulidum rettulerit patrum:
Illum quòd Syriæ agmina
Cum magno Antiocho vicerit, & bona

Cis Taurum spoliauerit
Regni parte sui: Sit mihi suauius
CHRISTI Principis omnium,
Et laudes Mariæ virginis inclytas,
Diuorúmque celebrium
Cum CHRISTO æetherea luce fruentium,
Hac testudine promere
Tantisper, numeris dum grauioribus
Assuescit mea Pieris,
Discens Mæoniam grandiloquentiam,
Siqua effingere sit potis
In præconia rerum artificis Dei.

Precatio vespertina.

Ante finitæ Deus alme lucis
Terminum, fusa prece supplicamus,
Nos vt assueto tueare custos
Semper amore.
Somnia à nobis procul atra cedant,
Terreant motam neque spectra mentem,
Neu soporati maculemur hostem
Comprime vafrum.
Hoc Pater rerum venerande præsta
Per tuum natum Dominúmque nostrum,
Cuncta tu quicum moderaris & cum
Flamine sancto.

Ad Claudium Cappusium librarium Regium.

Quando ipsi sitiunt amice fontes,
Et me vis tibi missitare versus,
Votis paruerim tuis libenter,
Atque hæc qualiacunque nostra mittam,
Hoc est, ligna feram in nemus, quod aiunt,
Et ponto latices ineptus addam.

Hoc pacto tamen, hâcque lege tantum,
Vt pro quisquiliis ineptiísque
Effutit mea quas inops Thalia,
Tu nobis tua mutuò remittas
Exacta & tetricum probata ad vnguem,
Quæ quando libitum est fauente Phœbo
Et dextris facis affabre Camœnis
In vatum numero Latina Syren.

Ad Odonem Collignium Cardinalem Castillionæum amplis.

Odo purpurei decus Senatus,
Ante annos merito create Præsul
Sensu, moribus, eruditione,
Hanc febrim vt male Dii Deǽque perdant,
Quæ te tot cruciat molesta menses,
Nec nauare operam sinit Camœnis
Liberalibus, vt prius solebas,
Et sermonibus vtriusque linguæ,
In quas iam tenero eminens ab vngui,
A tergo & comites tuos relinquens
Florebas ita: sic equis & albis
AEquales puer antè gnarus ibas,
Vt spe incredibili, indole & beata,
Gaudio afficeres tuos amicos,
Atque ipsum prope vinceres Beraldum,
Quo nil tersius elegantiúsque,
Cultæ munditia ac lepore linguæ.
Nunc morbo ah lepidæ silent Camœnæ,
Nec iam personat aula litteratis
Tua heu colloquiis, identidémque
Cogor dicere, & acer imprecari
Hanc febrim vt male Dii Deǽque perdant,
Quæ te tot cruciat molesta menses,

Odo purpurei decus Senatus.

De eo qui edicta Iuliani Cæsaris in Christianos Nicomediæ discerpsit.

Te quibus exornem numeris fortissime martyr,
Edicta qui nefaria,
Insanásque foro medio discerpere leges
Non extimescis Cæsaris?
Tam clarum admirans facinus Bithynia vidit
Atque ipsa Nicomedia:
Cum tu mirifico CHRISTI inflammatus amore,
Firmóque constans pectore
Carnificum risisti enses, incendia, & vncos,
Plumbum, fidiculas, malleos.
Cúmque irrupisti densum moriturus in agmen,
Spretísque sanctionibus
Vulgari toto quas iusserat orbe Tyrannus
Crudelis ille apostata,
In Domini insontes famulos interritus alta
Voce efferum redarguis,
Qui statuas CHRISTO velit atque idola relicto
Cæsis adorari hostiis.
Non mihi Dorotheus simul & Gorgonius hic sunt
Honore fraudandi suo,
Qui tua consiliis animantes pectora fidis,
Ferenda suadent omnia,
Mille & inauditis cruciatibus antè cadendum,
Veri abneganda quàm Dei
Exposita indignis licet heu mysteria probris
A Iuliano perfido.
Accensos tu igitur viuens coniectus in ignes,
Sudum euolas ad æthera.
Maceror hoc vnum, & laudi fero deesse moleste
Sanctissime ô Martyr tuæ,

Pigra quòd inuoluit ignarum incuria nomen,
  Nec tradidit nepotibus.
Sed tamen æterno cælestis codice vitæ est
  Notis figuratum aureis:
Sic vt nulla queant quantumlibet inuida posthac
  Illi nocere obliuia.
At tu exemplar eris venturo nobile seclo
  Quid ferre nos oporteat
Ante Euangelii quàm sacra fidémque sinamus
  Sua carere gloria,
Veridico & præferri hominum mendacia CHRISTO,
  Laus cuius absque termino est.

CHRISTVM vitæ æternæ mysterium mortalibus aperuisse.

Oscines quasdam veluti volucres
Lignea clausas cauea videmus,
AEmula voces hominum scienter
    Fingere lingua,
Nosse verborum neque vim suorum,
Cûr ve dicantur, quid & illa signent,
Sed sonos citra rationis vsum
    Fundere inanes.
Non secus multos itidem loquentes
De Deo rebúsque sacris videre est
Sæpe sermones fatuos sine vllo
    Promere sensu.
Id Sophis æuo Phariis priore
Contigit, Græcis paritérque & Indis,
Ante quàm CHRISTVS sua protulisset
    Lumina mundo.
Cæterum templi simul atque velum
Prorsus est illo moriente scissum, &

Sancta Sanctorum patuere nullis
Abdita claustris.
Spiritus postquam sacer ille summo
Missus à cælo, calefecit igni
Intimas mentes, & Apostolorum
Corda nouauit:
Vanitas ingens veterum Sophorum
Tum redarguta est, & ineptus error,
Tum suis Phœbus dare verba Delphis
Desiit augur.
Tum Libys mutus quoque factus Ammon,
Atque Cyrrhæi tripodes, Clarósque,
Nec specus quicquam blaterat Trophoni,
Amphilochiísve.
Iure nimirum, veniente quando
Sole & Eoas iaculante flammas,
Eius obscuram radiis decebat
Cedere noctem.
Par fuit claro tenebras diei
Atque virtuti dare terga noxam,
Par Deo vero dare fraudulentos
Dæmonas herbam.
Ergo solennes sine fine CHRISTO
Sint Deo laudes homin íque, qui nos
A malis tutos Geniis nefandi
Asserit Orci.
Qui docet quæ sint sacra grata Patri
Maximo, nobis sit & ambulandum
Qua via, vt tandem redeamus vnde
Venimus olim.

Ad Gelonidem.

Quàm te, sentio, amem Geloni coniux,
Cum mentem sua solitudo pascit
Gratæ nectare cogitationis:
Cum liber procul arbitris remotis

Sedato ſtrepitu negotiorum,
Mecum muſſito ſolus ambulando.
Nam male inteream Geloni, ſi tum
Ex omni numero iuuencularum,
Quæ paſſim in domina videntur aula,
Te præter ſubit vlla mancipatum,
Pendentémque tuo ex amore vatem.
Quid rerum ô mea nunc agas voluto,
Quæ tecum comites, quibúſque opellis
Tunc deſyderium leues mariti.
Mox ad gaudia iam peracta verſus,
Ad luſus lepidos lubentiáſque,
Me nuper quibus ipſa recreaſti,
Suſpiro miſer, éque pectore imo
Educens gemitus, ſubinde dico:
Si poſthac ſine te Geloni viuam,
Poſtremúſque hominum miſerrimúſque
Iratam experiar mihi Dionen.

Ad Io. Baiardũ Cœnobiarchã Iſſiodoreũ.

Quantus fatigat mentem hominum furor
Baiarde, quanta heu pectora cæcitas
Obſcurat, illuſiſque ſeſe
Senſibus inſinuant tenebræ!
Mortalium pars maxima liberos
Hoc concupiſcens propoſito fouet,
Hac mente lætatur ſibi eſſe
Progeniem numeroſiorem:
Creſcente ſenſim vt poſtquam adoleuerit
AEuo illa, & artes ingenuas capax
Libarit ipſis ſub magiſtris,
Mox ad opes, properétque quæſtum.
In omne pulchris diuitiis decus,
Omnes honores, & ſita commoda,
Huc vota tendunt, huc labores,

Corporis huc animíque vires.
Nulla interim de numine mentio,
Veróque cultu numinis,& quibus
Huic disciplinis sit litandum,
Sacrificii placeat quis vsus.
Gratum Tonanti pectus vt innocens
Nil est peræquè,vitáque sordium
Ignara: maiestas suprema est
Præcipue hoc veneranda cultu:
Quem siquis insons obtulerit Deo,
Placabit illum. sin scelerum reus,
Commissa planctu lachrymísque
Eluat,& veniam apprecetur:
Nunquam relabi sollicitus velit,
Constantiámque hanc prouidus afferat,
Contingat vt ne peius ipsi
Si toties iteret quod obsit.
Non thura,non aurum exigit à suis
Gemmásve Christus,non holoserica
Bis mersa Cadmæis ahenis,
De Pario neque templa saxo.
Primum ergo mentis candida puritas,
At pœnitudo sacrum erit alterum,
Delicta flenti profuturum,&
Consilia in melius nouanti.
Addetur et si tertia victima,
Qua rite læsum propitiem Deum,
Solabor afflictos,egentes
Largus alam,medicabor ægris.
In cogitatu multus ero precum:&
Cum hæc perseuerans omnia fecerim,
Fecisse me nil confitebor,
Ista magis tribuámque CHRISTO.

Ad Franciſcum Fulcetium theologum Iuliodunenſ.

Lacte Fulceti niueo bonarum
Artium,& ſacri dape paſte verbi,
Dic pium mecum fidibus Latinis
Dic age carmen.
Gentibus cunctis oriturum,& orbi
Enthei CHRISTVM cecinere vates,
Nec fefellerunt,pater ecce miſit
Cælitus illum.
Factus è caſta eſt homo matre verus
CHRISTVS,æterni ſoboles parentis,
Spiritu ſancto penetrante puram
Virginis aluum.
Dius exortu puer auſpicato
Dempſit occaſum,tenebras fugauit,
Induit noſtram Deus & figuram,
Seruet vt omnes.
Integrum vitæ,ſcelerı́ſque purum
Pontius iudex Solyma vrbe damnat,
Sontis ad vocem populi gelatus
Corda timore.
Flagra pôſt diræ colaphóſque gentis,
Spinea preſſum caput & corona,
Ardua exhalans animam pependit
In cruce Soter.
Mortuus,mortem vt ſuperet ſuorum,
Ianua eſt vitæ melioris hæc mors:
Nam fuit nobis moriens ſalúſque &
Vita redemptor.
Saxeo fidi comites reponunt
Membra ſub noctem tumulo ſacrata,
Orbis & lati breuis vrna Regem
Continet almum.
Tres dies corpus fuit in ſepulchro,

Ad nigros manes anima eius iuit,
Inde surrexit rediuiuus, ore &
Lucidus aureo.
Nube sublimis tenui, astra cœtu
Scandit alato comitante Diuûm,
Patris ad dextram residet, quousque
Iudicet omnes.
Nanque venturus, niueos ab hœdis
Segreget fuscis vti pastor agnos,
AEquus assignet sua & vniuersis
Præmia censor.

Ad Pacificum Salmoniũ fratris filium.

Instas Pacifice, & molestus vrges,
Præscribam vt tibi diligenter, ecquid
Euadas vti doctus, est agendum,
Et scribas numeros venustiores:
Quales Cæsius & Saleius olim
Tersúsque edidit ante Flaccus illos,
Flaccus Pindaricæ decus Camœnæ.
Non certe mihi id otii relictum est,
Hæc vt fusius explicare possim:
Nec doctrina ea, Musicæ vel artis
Consummatio, vt erudire quenquam
Perfecte valeam, bonúmque demum
Certis reddere regulis poetam.
Quî, quod non habeam, dare ipse possim?
Hoc dicam modo, pauculísque verbis
Explanabo, vti patrui Macrini
Sis ob hanc memor institutionem,
Dictis promoueas domesticísque.
Si credis mihi, cum stylum parabis,
Accingêris & æmulationi,
Duntaxat veteres leges poetas:
Nec cunctos tamen, ast eos recepta

Qui carmen feriunt probum moneta.
Non eſt hîc opus indicare qui ſint,
Quiuis è triuio docebit iſtud.
Poſthæc ſchemata ſedulo notabis,
Illorúmque phraſim, tropos, figuras,
Et fœliciter ordinata verba.
Siquid hiſtoricum poeticúmve,
Aut ſiquid phyſicum erues, & acri
Attendes ſtudio anxiáque cura.
Poſtremo quoniam artium magiſter
Eſt vſus, iubeo vt ſubinde carmen
Componas numero modo hoc, modo illo,
Aſſuetudine robores Camœnam,
Atque exercitio ſtylum fatiges.
Tum ſi forte tibi poema fœlix
Phœbi compoſitum fauentis œſtro eſt,
Ne tu propterea tumore vano
Infleris, tibi'néve ineptus vni
Credas, Quintilios adi ſeueros,
Ipſorum & tua ſubde ſcripta limæ.
Hoc ſi conſilium ſequêre, nec te
Præbebis monitis meis rebellem,
Vix certe effluet integellus annus,
Cum iam commoda luculenta cernes
Sementis patruæ, vberémque meſſem,
Et Iulii paries decus colonis.

De obitu Iac. Fabri Stapulenſ.

Ergóne flagrans ille Deo ſenex,
Afflatus almo pectora Spiritu,
Et diſciplinarum recoctus
Omnigena Stapulenſis arte,
Entheca virtutum & Sapientiæ,
Quo iuſtiorem Gallia non tulit
A ſeſquimillenis & vltra

(Quanquam hominum illa ferax sit)annis:
Terras relinquens, interitu suo
Mœrore cunctos obruit intimo,
Quicunque alebantur senili
Frugiferi Sophia magistri?
Longæuus etsi,non tamen occidit
Minore damno,flebilis aut minus,
AEtate cum iam fessa humatum
Vt iuuenem quererentur omnes.
Syren voluptas improba sobrium
Non fregit vnquam Cypridis aut gulæ,
Nec se sibi vni procreatum,at
Vtilitati hominum putauit.
Eius libellos orbe Britannia
Diuisa toto,Gallus,& Italus
Voluunt,& Istrum septicornem
Qui bibit,Hesperiúmque Bethim.
Claras ob artes plurima pertulit,
Exercuítque hunc immeritum diu
Sorbona Hyantæis alumnis
AEqua parum,nimium Sophistis.
Immotus acres sustinuit minas,
Constantiæque haud flectere de via,
Attrita ceu rupes ab vndis
Proposuit,potuítve cogi.
AEui peracto iam prope seculo
Morbo grauatus quàm senio minus,
Efflauit instar dormientis
Sanctam animam tenues in auras.
Senis loquentis CHRISTVS ad vltimum
Versatus ore est,vnâque vox fuit,
Laus vna CHRISTVS,cantióque:
Et dubitem hunc adiisse cælum?

De morbo Mariæ filiolæ.

An'ne curarum mihi iugis ordo
Offeret ſeſe? dabitur nec vnquam
Turbidæ menti requies, modúſque
Sortis amaræ?
O meis cœptis inimica fata!
Annus ô carbone nigro notandus!
Quæ mihi angorum ſeges affluenti
Vbere ſurgit!
Me prope afflixit modo vanus aſtu
Hoſtis occulto, nocitura fingens
Multa in inſontis caput, & ſuſurris
Præmia captans.
Coniugi iam ſex vterum ferenti
Plus minus menſes grauior repente
Morbus inceſſit, miſerámque longo
Tempore torſit.
Sed tamen partu facili leuata,
Cœperat pulſo reualere morbo,
Cum ſuas ſe Fors iterum maligna
Vertit ad artes.
Menſe nam vix dum Mariam peracto
Langor obrepens & aquoſus hydrops
Implicat furtim, tenerámque dura
Tabe fatigat.
Mater effuſis lachrymis liqueſcens
Filiæ ob morbum queritur Gelonis,
Filiæ qua non patriis ſit vlla
Pulchrior oris.
Finis ecquando Superi tot atris
Cladibus per vos erit? ô precamur
Eſte contenti, & meliore mœſtos
Cernite vultu.

De Innocentium infanticidio.

Huc huc Erynnis fer rapidum pedem,
Regémque aduncis vnguibus arripe,
Lactentium qui se profuso
Polluit horrificus cruore.
Regníne tanta corda cupidine
Humana flagrant, sic diademata
Quæruntur, vt stricto oppidatim
Immeritus fluat ense sanguis?
Nudum obsoletis præstet in ædibus,
Fuliginosæ sordibus & casæ
Algere, & insuaui lupino,
Lente paretoniáque vesci:
Quàm tot nefandis cædibus oblitum,
Istísque opertum flagitiis, manu
Gestare sceptrum, purpuráque
In trabea Tyriæ videri.
Tam clade fratrum quàm popularium
Fœdis ruinis hic solium rapit,
Indebitam extinctóque nectit
Antigono capiti coronam.
Antoniana quippe potentia
Fretus satelles, nomina regia
Inuasit, Hircanum hinc necando
Vi Solymas sibi iunxit arces.
Mox sumptuosis oppida mœnibus
Hebræa cingens turréque plurima,
Auxítque vires, & coactis
Imperium stabiliuit armis.
Atqui scelestum nulla sagacitas
Tutetur vnquam, quin quoties tonat
Pallescat exangui timore,
Horreat & strepitus inanes.
Nam quòd Prophetarum enthea pectora

Tunc nasciturum prodiderant ducem
De stirpe Iudæa, secundis
Qui populum auspiciis teneret:
A Sogdianis præterea Magis
De luce factus certior aurea
Stellæ micantis, quæ iis fuisset
Causa viæ Solymas ad vrbes:
Regno excidendi sollicitus metu,
Non iure partum quod sibi cerneret,
Bacchatur Herodes, furítque in
Pignora vix bene nata matrum.
Illo cruoris diluuio ferunt
Diro puellum vulnere regium
Confossum, inundantíque tabo
Oppida cuncta & agros natasse.
Audita vox est per Libani iuga,
Carmelus & quà culmina porrigit,
Palmosa nec mœstis parentum
Non maduit lachrymis Idume.
O Caspia rex tigride sæuior,
Quàm raptor audax præcipiti dolo
Orbauit, & paruos anhelis
Surripuit catulos veredis:
Non te mouebant tot puerilium
Horrendą passim funera cladium,
Sparsǽque bullanti cruore
Tot plateæ, fora, templa, vici?
Impune sed non hæc tibi perdiu
Cessere: nam tu fraude nefaria
Mactare quem nixus, tuum mox
Puniit omnipotens furorem:
Iustóque vindex iudicio obruit,
Ad stagna Lethes flammea destinans,
Illic vt æternis gehennæ
Vsque miser cruciere pœnis.

Apud ni vt quoties tuum patronum
Nostri mentio fiet vlla, saltem
Notum olim tibi me fuisse dicas,
Absentémque aliqua iuues opella.
Voti hæc summa mei est diserte Claudi,
Nec quicquam amplius exigo vel opto,
Hoc sat officio supérque fœlix,
Hoc candoréque testimonióque.

Ad Io. Bellaium S.R.E. Cardinalem.

Salue Pontificum decus immortale piorum,
  Tutela præsens vatibus:
Ambitio quem non ad honorum culmina tanta,
  Sed sola virtus extulit.
Quippe vbi non nimium naris Franciscus obesæ,
  Cui regna parent Gallica,
Doctrinam raris coniunctam moribus in te
  Cum singulari industria,
Seria per grauium vidit molimina rerum,
  Creperámque casuum aleam,
Huc dum temporibus dubiis orator & illuc
  Frequens ab ipso mitteris
Eloquio vt dulci flectas fera pectora Regum
  Irásque perduellium:
Has non in tenebris est passus inertibus artes
  Segni & iacere puluere:
Participem sed enim augusto dedit esse Senatu
  Secretioris consilii.
Idem Pontificem statuit te principis vrbis,
  Quam varus intrat Sequana.
Nec, quàm Romulea tegeret tibi tempora Paulus
  Prius quieuit, purpura.
Qui quanuis honor est regum prope culminibus par,
  Tuis tamen virtutibus
Pendere si trutina iuuet haud indebitus æqua,

Vel hoc abunde nomine
(Cætera si desint quæ conspicienda refulgent
In te erudite Pontifex
Ornamenta animi)quòd ad hæc fastigia vectus,
Vsque hac opum circunfluens,
Non tamen vt multi, tenues contemnis amicos
Fastu impotente turgidus.
In quorum numero nisi sim, vir maxime, fallit
Concepta mentem spes meam.
Contigit ambobus discumbere sæpius vnà,
Vnà iocari sæpius,
Es me quinetiam tecto dignatus eodem,
Quæ tua erat hospitalitas.
Atqui Pythagoræ nota communia lege
Si sint amicis omnia,
Ex hoc fac aliquis tam diuite flumine riuus
Macrinum adusque defluat.
Tum quæ nota tibi à teneris mea Pegasis annis
Patrocinanti seruiat.
Dulce puto fuerit vates doctissime vatum
Musa cani domestica:
Nec benefacta sini venturo abolerier æuo,
Dotes & animi heroicas.

De Ioue & Danae.

Formosam Danaen sollicitus pater
In turri Acrisius clauserat ænea,
Tutam aduersus amantum
Sic fraudes satis autumans.
Sed fata indoluit tristia virginis
Inclusæ miserans Iuppiter, illius
Mox effectus amator,
Et quassans caput hæc ait,
Ergo arcere potes Cælicolis tuam
Natam & terrigenis ô vafer Acrisi?at

Si non imbribus arces,
Fiam imber, potiárque ea.

Ad Gelonidem.

Princeps Iuliadum iuuencularum
Mansuetudine, castitate, forma:
Verna floridior Geloni caltha,
Molli mollior anseris medulla,
Cui cedat fauus Atticus, liquórque
Is quem Trinacriæ tulere cannæ,
Et si dulce magis quid esse possit.
Cur non ô mea nunc susurro tecum
Secreto laris angulo paterni,
Cur non turgidulæ infero mamillæ
Furtiuámque manum, deosculórque
Tinctas Sidonio rubore malas,
Rixoso & tua dente colla signo?
Cur non quod Cypris, occupo suadet?
Hæc nunc si facerem, beatus essem:
Sed fortuna meis iniqua votis
Has ad, mœstum animi, retrusit oras
Extremi Oceani atque Galliarum,
Vnus ne fierem beatiorum,
Essem si assidue Geloni tecum.

De Agathocle Regē Syracusano.

Prognatum figulo patre Agathoclea,
Cui subiecta fuit Trinacris insula,
Et qui fulmineo belliger impetu
Vrbes tot sibi subdidit:
Contusæ assiduis cladibus Aphricæ
Cum pacem & patribus Sidoniis daret
Quos certamine bis vicerat impigro,
Leges poneret & suas:
Ipsum inquam perhibent Regem Agathoclea

Præcepiſſe prius ſacra nefaria
Saturni, atque ferum ritum abolerier
Mactandi pueros focis,
Quàm certi vlla foret mentio fœderis
Cum gente horribili prorſus & impia,
Sparſis quæque deos ſanguine liberûm
Placaret patrios rogis.
Protendens geminas falcifer æneus,
Oblatos pueros quæ caperent, manus:
Magna mole ſtetit, lapſu vti lubrico
In furuum ruerent chaos.
Nam panda horrificans ſub ſtatua ſpecus
Immenſis patuit ſæuus hiatibus,
Quò delapſa pyris corpora flammeis
Ardebant pereuntium.
At ne terrificis in cruciatibus
Audiretur atrox vociferatio,
Et ſtridor vehemens exitialibus
Ardentum miſere rogis:
Matres atque viri propter aheneam
Saturni ſtatuam & flammiuomum chaos
Ducebant choreas, cantica ouatibus
Fundentes noua barbaris.
Hos cultus tragicos, hanc truculentiam
Quanuis ſanguineus cætera & impotens,
Non pſſaus domitor Sicaniæ vberis
Icto fœdere ſuſtulit.
Proin cum militiæ laudibus inclytus
Hoſtes ſæpe ſuos Marte ceciderit,
Obſcuræque notam victor originis
Pugnaci eluerit manu:
Non vllo ille tamen nomine iuſtius
A Muſis canitur facta vehentibus
Præclara, edomitæ quàm Libyæ impia
Quòd ſubuerterit Orgia.

Sic vinci vtilius Sidoniis fuit
Quàm vicisse, Ducis quando Agathoclei
Tunc effectum opera, ne sua diriter
Deinceps pignora cæderent.

Psalmi CXXVII. paraphrasis.

Omnes qui Dominum timent beati,
Et quicunque vias sequuntur eius.
Fœlix si manuum labore viuas,
Nam te prosperitas fouebit vsque.
Fœcundæ tua vitis instar vxor,
Quæ cingit grauidis domum racemis
Huc errore vago fluens & illuc.
Mensæ in circuitu nouas oliuas,
AEquabit tua florulenta proles.
Sic ô qui Dominum timent beentur,
Terræ fertilis & fruantur auctu,
Cunctis innocui diebus æui.
Natorum videant senes propagem
Canis tempora defluis glabelli,
Et pacem populo bonam fideli.
Patri gloria sit, Deóque CHRISTO,
Necnon Spiritui perennis almo,
Quos tres credimus, & fatemur vnum.

Ad Claudium Vidum Lauallum iuuenem illustrissimum.

Siqua synceræ benefacta menti
Par inhærere est, meminisse semper
Quæ recordantem deceat, nec vnquam
Tradere ventis:
Illa sunt quæ tu modo contulisti
In tuum vatem, celeber Lauallle

Moribus, censu, genere, artiúmque
Dote bonarum.
Proinde dum frendens aper alta montis,
Cærulas pisces & aquas amabunt,
Sim voluntatis memor ipse gratæ, &
Muneris huius.
Dexter aspiret modo Apollo cœptis,
Musa te indictum mea non relinquet,
Quod quidem solum valeam patrono
Reddere tanto.
Tecum erit iunctus Lateranus, antra
Sancta Nympharum duce quo subisti,
Omni & insignem tibi texuisti ex
Flore corollam.

Tertii libri Hymnorum finis.

Salmonii Ma-

CRINI IVLIODVNEN. Cubicularii Regii Hymnorum liber quartus.

Ad Io. Bellaium S.R.E. Card. amplis.

Imbellis hæc si Iane Heliconias
  Clarare cantu possit idoneo,
  Heroa virtute eminenti,
  Indigenis patriǽque charum:
Laudes iuuentus Celtica iam tuas
  Nostris gregatim concineret modis,
  Nec nomen à Calpe sit vllum
  Maius odoriferos ad Indos.
Formidolosum conscius at pudor
  Viréſque terrent non oneri pares,
  Ne fasce sub magno remissis
  Deficiens genibus labascam.
Quicunque pigris certat Olympia
  Mannis, trementi lora regens manu,
  Delirat, AEgæúmque cymba
  Qui fragili secat æstuosum.
Hæc plectra blandis mollia lusibus,
  Lætíſque amantum conueniunt iocis,
  His vina dicuntur, dapéſque,
  Munia non grauiora rerum.
Non victus armis Cantaber Italis,
  Flacco canuntur, nec fera prælia:
  Sed festa, sed dulces amores,

i.ii.

Sed faciles nuruum choreæ.
Sperni putares ne tamen à tuo
Te vate, vernis floribus interim
(Dum fructus autumno metatur
Gratior) hæc tibi serta feci.
Quæ si libenter sumis & obuia
Manu, ecce messes haud mora quin suas
Cornu tibi Nymphæ referto
Floricomo ex Helicone mittant.

Cantici Diuorum Ambrosii & Augustini paraphrasis.

Te Deum pleno celebramus ore,
Voce te clara Dominum fatemur,
Téque supremum veneratur omnis
Terra parentem.
Syderum flammis tibi pictus æther,
AEtheris summi Genii volucres,
Et potestates, Superúmque densus
Concinit ordo.
Sancte Io rerum Pater atque Princeps,
Sancte Io immensi dominator orbis,
Sancte Io cuius replet alta cælum &
Gloria terram.
Te chorus præsignis Apostolorum,
Te Prophetarum numerus verendus,
Téque collaudant sagulis amicti
Martyres albis.
Quáque terrarum spatiosus orbis
Ambitu lato patet, à recenti
Sole ad occasum, veneranda rite Ec-
clesia adorat.
Te patrem, natum paritérque, & almum
Spiritum, queis par tribus est potestas,

Par item virtus,& idem haud eodem
Nomine numen.
Gloriæ tu rex bone CHRISTE,summi
Tu patris proles,qui homines ab Orco
Liberaturus gremium pudicæ
Virginis intras.
Tu triumphatis Lemurum cateruis,
Mortis & duræ feritate victa,
Regna cælorum populo fideli
Alta recludis.
Tu sedes dexter solio parentis,
Vnde nos spectas oculis benignis,
Et pia humanos miseraris ô Rex
Mente labores.
Crederis iudex(operosa mundi
Cum ruet flamma populante moles)
Esse venturus,sua cuique vt æquus
Præmia reddas.
Ergo te propenso animo colentes
CHRISTE,vt ignoscas famulis precamur,
Quos redemisti roseo profusi
Sanguinis imbre.
Fac tuos ciues numeremur inter,
Quos serenati tenet aula cæli,
Nectaris succo liquidi fruentes
Ambrosiæque.
Fac tuam plebem(tibi enim supremus
Tradidit regnum Pater omne)saluam:
Et cohæredum bene dic cohorti
CHRISTE tuorum.
Et manu oblata rege semper illos,
Nec sinas incedere calle varo,
Néve cæcorum scelerum per atras
Ire tenebras.
Per dies laudem tibi dictitamus

Singulos,& te veneramur almum,
Antelucanis humiléſque paſſim
Pſallimus hymnis.
Da citra noxam diem vt exigamus
Hunc Pater,noſtri miſerere clemens,
O Pater clemens miſerere noſtri,&
Parce redemptis.
Nos tua vnius bonitate fretos
Luce perfundas veniens ſuperna,
Spes ſitas in te bone CHRISTE nullo
Tempore falles.

Ad Suſannam filiam trimam.

O ſolatiolum meum Suſanna,
Infeſtant quoties acerba mentem,
Curarum & rapido inquietor æſtu.
Meræ deliciæ,meríque amores,
Matri non ſecus atque chara patri.
Cuius garrulitas faceta,cuius
Argutatio,luſiunculæque,
Et verniliter expedita lingua
In ſalſas charites,iocos,lepores,
Vel duros ſilices mouere,nedum
Propenſum in te animum queant tuorum.
Mellita ſed enim proteruitate
Tum mulces auidas licenter aures,
Titilláſque animos inaudientum,
Confictis vbi iurgiis feriris,
Obiecta & regeris cauilla mordax.
Nam tum percita bile contumaci,
Commotámque magis dicax ob iram,
Quæ non ſcommata funditas in illos,
Quos voce increpitans refellis acri
Et conuitiolis aculeatis?
Sic nunquam tua ſordeat crocota,

Quam plus dulciculis amas ocellis:
Flaui colla fluant per alba crines
Monili,& niueis reuincta baccis,
Nec sit oppidulo puella nostro
Cultu floridior decentiórque.
Sic primæua vbi nubilis iuuenta,
Quarto proxima eris Susanna lustro,
Tedas alite sortiare dextra:
Contingat tibi talis & maritus,
Qualem sollicitis vtrique votis
Tibi à numine postulant parentes,
Hoc est eximius,modestulúsque,
Pudore ingenuo,ore liberali,
Et rara simul eruditione.
Da bellatula,da Susanna patri
Actæo oscula delibuta melle,
Collum cereolis patris lacertis
Astringens,bibulam susurra in aurem
Acres quod valeat leuare curas
Dulci garrulitate,quódque mentis
Mœstæ nubila fusca disserenet,
O solatiolum meum Susanna.

Ad Calligonen.ex vernaculo Regis epigrammate.

Aptabam capiti meo
Filis reticulum nexile sericis,
Quò solis radios graues
Arcerem,& rapidi spicula Sirii.
Poscenti at speculum mihi,
Vt vultum aspicerem,id sedula tu nimis
Mox offers auibus malis.
Nam tum me speculo cernere cogitans
In formæ niueum tuæ

Candorem,& teneri tubera pectoris,
Imprudentius incidi.
Oblatum at ſpeculum cur auibus mihi
Dixi Calligone malis?
Verbum pœniteat me male ſobrium hoc
Fudiſſe,& potius putem
Signandum lapide hunc candidulo diem.
Nam ſit reticulum licet
Curæ anſa,& populet flamma medullitus
Inteſtina liquentia,
Fauſtum forte tamen me reputo mea,
Inſperato oculi & bono,
Quando ſæuitiæ ſiquid ineſt,tua eſt.

Ad Arethuſam Annæ Boyſiæ filiam.

Inter inſignes Arethuſa Nymphas
Francica quæ nunc agitant in aula,
Quæque natabus geminis miniſtræ
Principis adſunt:
Tu mihi tantum reliquas videris
Laude natiuæ ſuperare formæ,
Stellulas quantum ſuperat bicornis
Luna minores.
Ambiant ſuras roſei cothurni,
Colla neglecti per eburna crines
Euolent,aſtricta ſinus fluentes
Fibula nectat,
Pendeat plena ex humero pharetra,
Dexteram exertam ſua telaque arment,
Rurſus Alphæus vel ad vſque Gallas
Profluet vrbes.
Teque flagranti ſtudio ſequetur
Ah nimis duram,& thalamis rebellem,
Dum tibi caſtæ pia ponderantur
Iuſſa parentis.
At tuæ matri tamen eſſe notum

Expedit, tali facie haud manere
Posse te innuptam, rigida licet sis
Abdita turri.

Ad Io. Parthenium cognomento Archiepiscopũ Toparchum Subisanum.

Mortalium pars maxima Partheni
Intenta lucro diuitias amat,
Perferre nec quosuis recusat,
Dummodo rem faciat, labores.
Ad bella quæstus tristia militem,
Et congerendæ spes opulentiæ
Plerunque compellit, salutis
Immemorem propriǽque vitæ.
Non tela Martis Norica territant,
Actǽve glandes machina ahenea,
Discrimen aut mortis, fatigat
Quem semel alta fames habendi.
Mercator Indos strenuus vltimos,
Rubríque dites æquoris insulas,
Gemmarum odoratǽque messis
Emolumenta petens, reuisit.
Non chara coniux, non lachrymantium
Vox liberorum flebilis auocat,
Se Pleiadum Arcturíque crebris
Quo minus obiiciat procellis.
Tantis parantur tótque periculis
Et census, & quæ prima homines putant:
Inuisa paupertas perinde est
Atque canis rabidus, vel anguis.
Rite æstimarit siquis opes tamen,
Contemnet illas, vtpote sæpius
Quæ præbuerunt maximorum
Materiem scelerum ac malorum.

Dum se beatum iudicat affluens
  Et copiosus, tum ecce tibi minax
  Rhamnusia horrendo tumultu
  Omnia miscet agens, & aufert.
Testis mearum est ille Polycrates
  Sententiarum, qui tenuit Samum
  Vini quidem expertem tyrannus,
  Cætera at immodice feracem.
Fœlicitatis vectus eò, anulum
  Gemma vt decorum proiicere in mare
  Auderet, à piscante nauta
  Quem memorant domino relatum.
AEgyptius Rex vera vbi comperit
  Hæc esse, diuino ore Polycrati
  Prædixit ærumnásque tristes
  Affore, luctificúmque finem,
Haud falsus augur. Nam miserum simul
  Ac fraude cepit Satrapa Persicus,
  In monte suspendi præalto
  Iussit, opes rapuítque tantas.
Nec frater eius sit Siloson mihi
  Inter beatos, purpuream licet
  Ob lænam ab Histaspis Dario
  Sit patriæ ditionem adeptus.
Quippe imperauit sic popularibus,
  Tantáque in omnes sæuitia est suos
  Grassatus, vrbes vt propinquas
  Et Samiam vacuarit aulam.
Custodiendæ cura pecuniæ
  Perquàm molesta est: gazáque numini
  Sacrata sit quanuis, locíque
  Relligio tueatur illam,
Irrumpet exlex Antiochi tamen
  Brennique miles, turbáque Phocais
  Delubra Phœbeósque Delphos

Sacrilegis ſpoliabit auſis.
Craſſus talentorum ad duo millia
Ex æde ſacra ſurpuit: at breui
Vindicta prædonem ſecuta eſt,
Aſſyriis cadit ille Carris.
Nec pœna vindex agmina Martia
Brenni reliquit: vertice nam ſacro
Delapſa tempeſtas, fragoſis
Obruit indomitos ruinis.
Cladis nec exors Antiochi manus,
Ditata raptis quæ Solymis, perit
Obtrita bellorum cruento
Turbine, Achemeniiſque Perſis.
Impune ceſſit nec populatio
Patrata Delphis: cætera Græcia
Nam Marte Phocæos retundit,
Delphica vi repetítque vaſa.
Hæc ergo cum ſe ſic habeant, domi
Sedere præſtat compoſitum, ſuis
Rebúſque contentum puſillis,
Quàm nimios inhiare cenſus.
Fœlix abunde cui mediocria
Victum quieto prædia ſuggerunt,
Dulcíque voluentem libellos
Quem gremio refouent Camœnæ.

Ad Annam Crequiadem, Hilermi Bellaii Toparchi Clariſs. coniugem.

Obrutus laudum cumulo tuarum,
Vnde ſelectum tibi Nympha carmen
Inchoem prorſus dubito ipſe, quóve
Fine quieſcam.
Corporis raris animíque nam ſic

Ad Gilermum Dumanium Iuliodun.

Ingentes ago gratias Gilerme
Facundiſſime ciuium meorum,
Et quos Pictonis ora cunque vidit,
Me debere tibi lubénſque teſtor,
Quòd nugas adeo meas benigne &
Prolixe fueris remuneratus.
Nam cum carmina pauca nuper ad te
Baiardúmque ſimul tuum dediſſem
Iſtic neſcio cui negotianti,
Ne contemnere vos viderer ambos,
Quos nimirum oculis meis, quod aiunt,
In'que ipſis penitus fero medullis,
Plenas hendecaſyllabōn quadrigas
Miſiſti ilico,& affatim beaſti
Me poematiis tuis venuſtis,
Venuſtis, Deus/elegantuliſque.
At pro quiſquiliis ineptiiſque
Non tantum fuerat tibi laboris
Sumendum bone Dumani,niſi ſi
Velles chryſea chalceis,vt olim
Glaucum egiſſe refert ineptum Homerus.
Vtcunque eſt,iuuat,atque idem in futurum
Vt fiat precor,hiſce nec graueris
Deuincire magis magíſque donis,
Qui te,qui tua ſcripta amat Macrinum.
Nam quod Fabritiis,Quiritiiſque
Caluis Flaminiis,& vrbis ipſo
Noſtræ Iuridico minus te amari,
Baiardus putat,hac Gilerme cauſa,
Quòd nuſquam in lyricis meis legare,
Næ ille(pace velim quod eſſe dictum
Eius)fallitur,ipſius fuiſſe
Et mi temporis immemor videtur,

Quo librariolis dedi Camœnas,
E noſtris vti ſcriniis abirent.
Nam tum Dumanium nec ipſe noram,
Baiardum audieram nec eſſe natum.
At poſthac ero ſiquid editurus,
Sparſurúſque leuis per ora vulgi,
Iunctos pagina multa vos habebit:
Quóque amplectar vtrunque amore, paſſim
Euulgabitur his modis minutis,
Inſulſis licet atque inabſolutis,
Quos per gratam animi remiſſionem
Flacci ſimius interim & Catulli
Ludens conficio, offeróque amicis,
Primas in quibus obtinetis ambo.
Quanquam es ridiculus nimis Gilerme,
Qui præſtare tibi quod ipſe poſſis
Vena diuite floridóque verſu, ab
Illis non vereare corrogare,
Quos omni genere eruditionis
A tergo ſuperans procul relinquis.
Sic fructus ſibi poſtulet reponi
Fœlix Alcinous, fauos Calydne,
Seres vellera, Cyprus æs, Sabæi
Thura maſcula, & Indus vniones,
Fragrantéſque crocos Ciliſſa Tharſus.
At votis tamen obſequar libenter,
Iſtud cum videam placere vobis,
Veſtri deſipere atque amore pergam.

Ad Gelonidem de partu ſollicitam.

Quid me querelis lugubribus necas
Geloni ſexto proxima partui,
Mœréſque ceu tanti laboris
Neſcia adhuc, rudis atque miles?
Soler quibus te vocibus ambigo,

Multis quòd æstas plena periculis
  Iam peste prægnantes tot hausit,
  In medio rapuítque nixu.
Commota adhortor pectora robores
  CHRISTO inuocato, téque pares Deo,
  Qui cuncta nolimus velimus,
  Iure suo & reget arbitratu.
Nam cognita illi sunt folia arborum,
  Eius nec iniussu vlla cadunt solo,
  Ponti idem inexhaustas arenas
  Et capitis numerat capillos.
Lege ille fixa & non reuocabili
  Vitæ diebus præstituit modum,
  Nec fine quisquam limitato
  Temporius morietur vnquam.
Quos vult profundo mergier æquore,
  Raucísque volui fluctibus Adriæ,
  Non lancea, Hispanúsve mucro,
  Colchica non aconita tollent.
Quid vis tibi inquam, me miserum, mea?
  Diffidis ecquid de Domini manu
  De gratia æterni parentis?
  Qui eripuit toties precantem?
De quinque primis lux mea liberis
  Nemo exitu non incolumi editus,
  Nemo salutaris lauacri
  Non liquida est aquula expiatus:
Et tres adhuc sunt ecce superstites.
  Respira amabo, nec nimio metu
  Te confice, excelsis ab astris
  Pende agedum, & stabilem foue spem.
Hæc differentem pallida sustines,
  Sacríque verbi admittis aculeos
  In corda, demulctósque sensus:
  Sed docilem pauor obdit aurem,

A ſede preſſam dimouet & ſua
Formido mentem, proin mihi debitis
Votis adorandus coruſci eſt
Suppliciter Deus ipſe cæli:
Quò det laboranti auxilium tibi, &
Partus dolores leniat aſperos:
Quicunque prodibit puella
Siue puer, liquidas ſub auras,
Merſabitur cum flumine luſtrico,
Solenne nomen nomine de Dei
Aſſumet, vt longum fauoris
AEtherei monumenta geſtet.

Exultat ob natum ſibi Theophilũ filiũ.

Salue orte fauſta luce Theophile,
Gratum parenti pignus vtrilibet,
Cui nomen ex voto dicatum
Quàm prius egrederere ab aluo.
En læte vt ad cunabula virgines
Pindi relicto vertice luſitant,
Lymphis relictis Hippocrenes,
Floribus & te hilares inumbrant!
Fallórne Muſæ, culta mihi cohors,
An me paternus cæcat amor nimis
Fortaſſe auentem credulúmque,
Veſtra colet ſacra vel puellus?
Iam nunc choreis hunc ego deſtino,
Veſtris ſacerdotem & voueo Orgiis,
Iam plectra, iam chordas, chelymque
De tenero meditetur vngui.
O conſecratum videritis Deæ
Pupum fauenti lumine poſcimus,
Lactate dio vagientem
Vbere, nectareiſque ſuccis:
Vt mamma ab ipſa iam teneat puer

Fandi leporem, mella & Hyantia:
Sermone nec Graio sit æquè
Alter & Ausonio disertus.
Non ille adultus vincat Olympia,
Sudánsve certet puluere in Isthmio,
Vt sacra victorem corona
Condecoret, tripodésve fului.
Non fronde virtus bellica laurea
Ornabit illum, aut conspicuo vehent
(Quòd Marte profligarit hostem)
Cornipedes niuei triumpho.
Nec concupiscet diuitias, hians
Ad celsa regum scandere limina,
Nec vendet argenti sititor
Verba foro phalerata rauco.
Fingetis illum sed celebrabilem
Honore vatum, & Lesbide barbito,
Nunc fontium ad riuos sedentem,
Nunc gelida nemorum sub vmbra.
Fratris tenelli chara Susannium
Accede cunis, & Mariam voca,
Vt mulceatis vagientem,
Sparge rosæ Charilae flores.
Fratri minori (vos superi modo
Seruent) præibis tramite musico
Anteambulo, & dux litterarum
Lingua in vtraque politiorum.
Hæc summa voti præcipua est mei,
Hæc cura, tota mente Theophilus
Vt qualis euadat vocatur,
Exprimat impositúmque nomen.

Hymnus diuo Paulo.

Paule Tharsensis, tuba clara verbi
Paule diuini, fideíque præco,

Cuius auditæ penitus sub omni
Climate voces.
Tu rapax olim lupus innocentem
In gregem accensus furiis & ira
Efferebaris, famulísque CHRISTI
Vincla parabas.
Conscius cædis Stephani cruentæ
Vestium custos aderas, furentes
Cum sacrum testem lapidum obruebant
Grandine turbæ.
A suo vidit Deus hæc Olympo,
Nec tulit cæcos miseratus ausus:
De lupo mitem sedenim voraci
Reddidit agnum.
Quippe cum magnam peteres Damascum,
Cingeret multus latus & satelles,
Arma pœnarum cruciatuúmque
Tristia portans:
Ecce præmisso tonitru per æthram
CHRISTVS apparens, iuuenem vocauit,
Contrà & obniti tibi calcar esse
Dixit iniquum.
Densa caligo est oculis oborta
Mox tuis, tantam neque ferre lucem
Rege mortalis Superûm loquente
Pupula quibat.
Lapsus in terram, pauitánsque CHRISTO
Voce respondes tremula, vocando
Mente mutata Dominum, hostis etsi
Antè fuisses.
Hinc manu oblata comites ad vrbem
Te tui ducunt, placidóque reddunt
Hospiti, gaudens vbi pòst salubri
Tingeris vnda.
Propalàm Hebræi populi cateruis

Verba de CHRISTO faciens, fateris
Esse eum missum misero in salutem
Cælitus orbi.
Has stupens audit Synagoga voces,
Tam noua & rerum facies requirit
Vnde, nec demens videt id potenti
Numine factum.
Ore centeno mihi ahena si vox
Intonet, quos sis pietatis ergô,
Propter & CHRISTVM nequeam labores
Dicere passus.
O fauens luce hac tibi Paule festa,
Audias quicquid mea Musa promit,
Et tuum dulci videas ab astris
Lumine vatem.

Tellignius de sua Arethusa Vernonia.

Siquam mentis in intimum recessum
Admisi cupidus, recondidíque,
Dilexíque medullitus puellam:
Ne viuam, illa Arethusa ni sit vna.
Nam sic pectoribus meis inhæret,
Sic imis animi sedet latebris,
Iugi illic sita cogitatione:
Nulla vt tempora transeuntis æui,
Nullæ lætitiæ, molestiǽve
Illam euellere & amouere possint.
Frustra de numero venustiorum
Accedant aliquæ iuuencularum,
Vt me surripiant, sibíque iungant.
Spectabunt oculi hanc libenter vnam,
Nec spectare alias volent puellas.
Cor secum feret hanc libenter vnam,
Nec ferre vnquam alias volet puellas.
Complectetur & hanc lacertus vnam,

Nec complecti alias volet puellas.
Hac fœlix modo ſum futurus vna,
Hæc Tellgniolum vna habebit vnum.

Ad Carolum Cæſarem cum Turcæ Viennam obſiderent.

Non amor Franci modò Carle regni
Cæſar(hic quanquam quoque me)rei ſed
Publicæ mouit mage cauſa,vt iſtæc
Pauca monerem:
Intimis quæ ſi bonus atque prudens
Senſibus condas,neque dicta vatis
Exteri temnas,tibi magnus inde
Venerit vſus.
Sin ferox noſtram rigidúſque flecti
Reſpuas vocem,patriæ ruinas
Mox gemes fruſtra,& meliora rebus
Fata requires.
Omnium primum,nihil eſſe maius
Aut prius debet pietate vobis,
Præficit quoſcunque Deus regendo
Optimus orbi.
Hoc quidem certe mihi non negabis,
Numinis iuſſu quoque diligendum
Proximum:quæ ſi duo forte deſint,
Omnia deſint.
Proin nefas duces aquilas,& ipſa
In Dei CHRISTI populos(perirent
Quò graues Turcæ melius)furenter
Vertere pila.
Seruit Arctoæ tibi gentis ardor,
Atrebas,Flandrus,Batauúſque,& Anno:
Seruiunt acres Calabri,& feracis
Culta Triquetræ.
A pruinoſa populi Pyrene
Vltimam ad Calpen, Tyriáſque Gades,

Pársque Maurorum tua iam subacti
　　Iussa facessunt.
Hisce contentus nisi viuis, altam
Quis sitim gurges satiarit vnquam?
Quanta terrarum cupidum replerit
　　Portio pectus?
Insubres raptos, & auita regna
Redde Francisco facilis volénsque,
Legibus pòst vt feriatis æquis
　　Fœdus amicum:
Mente fraterna, paribúsque fatis
Arma in infidos moueatis hostes,
Marte qui Peucen modo contuderunt,
　　Pannoniásque.
Qui rati nullum sibi iam nocere
Posse, Germanos (genus acre bello)
Obsident eheu, populántque vestræ
　　Arua Viennæ.
Gentis infestæ furias & ausus
Impios nullæ remorantur arces,
Non gelu, non nix, neque vorticosi
　　Impetus Istri.
Interim curas aliò reflectens
Cæsar, Insubres male parta regna,
Et sacerdotem miseris supremum
　　Cladibus vrges.
Maximum certe video periclum,
Dum malè affectas aliena, victus
Ne tua amittas, auidíque fias
　　Præda tyranni.
Hæc precor tecum reputa, nec hostes
Esse eos malis tibi, quos redemit
In cruce erecta pius innocenti
　　Sanguine CHRISTVS:
Quàm feros Turcas, Arabásque, & Aphros,

Vltimo & missas Oriente gentes,
Persequi quas sit satius, pióque
Subdere bello.

Ad Margaritã Valesiã Reginã Nauar.

Ingens egentem copia me facit,
Exordienti nec facilis via est
Regina virtutum poetæ
Carmen honorificum tuarum.
Nam tanta sese protinus explicat
Rerum facultas non triuialium,
Incerta mens vt sit decenti
Quas serie quibus anteponam.
Septena cum iam instaret Olympias,
Nec liberorum spes sterili foret,
Concessa diuino fauore
Pignora, dicam vtriusque sexus?
Dicam irrigatas nectare Hymettio
Voces loquentis quod rabidas domet
Tigres, quod iratos leones,
Saxa suis scopulis reuellat?
Dicam supernæ vi sapientiæ,
Instincta prorsum pectora nil nisi
Spirare CHRISTVM, nil nisi acri
Res agitare animo beatas?
Hæc cogitantem non humeri pares
Deterruerunt me, & mea paruitas,
Primámque Apollo sub quietem
Talibus increpuisse visus,
Ecquid minutis his fidibus tui
Sumis sororem dicere Principis?
Exemplar immortale morum
Fœminei decus & pudoris?
Getulæ arenas Tethyos hoc erit
Metiri, & alto sydera quot micent

Affixa cælo, quando ſudæ
Cunque tacent numerare noctes:
Quot mane primo ſub nemorum comis
Blandis volucres cantibus inſtrepant,
Cum veris optatam tepentes
Temperiem Zephyri reducunt:
Annon per vndas Oceanitidas
Parua vehatur nauita ſi ſcapha
Formidet, inſanis vt impar
AEquoris horriſoni procellis?
Hæc digna grandi eſt Mæonidæ tuba,
Vel Vida quantam vel meus Actius
Inflarit, Acteóque iuxta
Ore potens Latióque Budæus.
Imbellis at vos turba potens lyræ,
Plebeia ludorum otia, nuptias,
Vnguenta, luxus, & choreas,
Pontificum & celebrate cœnas.
Huic ipſe (fandi nam mihi copiam
Tum fecit) inquam, mos tamen eſt Deis
Cum thura deſunt, & phaliſca
Victima bos ſatiatus herba:
Quam plebis offert relligio molam
Paruo vetuſti cum cyatho meri,
Ramóſque ſyluarum, & recentes
Conſuluiſſe boni corollas.
Non tam mei ſum neſcius ingenî
Thymbræe, tantum nec tribuo mihi,
Vt poſſe ſperem eius verendas
Pro meritis memorare laudes.
Saltus peragrantem attamen Aonas,
Et ſaxa Pindi frondea, quid vetat
Decerpere huic incana paruo
Lilia cum violis caniſtro?
Attingere haud mens ardua, pectine

Sat cantitarim ſi Mitylenio,
Vt Parca naſcenti, futuræ
Indolis egregiæque formæ,
Et ſingularis præſcia gratiæ,
Voluente ſtamen candidulum manu,
Conchis ab AEois beatum
Indiderit, neque falſa, nomen:
Diſertiorum vt natio cœtuum
Eius ſub vmbone impenetrabili
Secura prorſum conquieſcat,
Pieriis operata ſacris.
Contenta certis finibus egredi
Eò voluntas vſque mea audeat,
Quò clara patronæ potis ſim
Grati animi dare ſigna tantæ.
Hac voce flexus Cynthius annuit,
Et me volucri deſeruit fuga,
Euanida vt corpus relinquit
Vmbra ſuum fugiente ſole.

Ad Cornelium Muſium Delphum Batauum poetam.

Ad crucem CHRISTI quoties reflector,
Surſum & erectis animis voluto
Quàm graues pœnas populi ſit ille
Nomine paſſus:
Mens in immenſum rapitur ſtuporem
Delphe Corneli, ratio nec vlla
Tantam inauditi eſt potis aſſequi vim
Prorſus amoris.
Ergo ob offenſas, hominúmque cauſa
Sontium æterni patris illa proles,
Conditrix rerum, & ſuperi perennis
Gloria cœtus:
Cælitus labens ſolio è paterno

Virginis caſtam ſibi legit aluum,
In'que mortali voluit libenter
Eſſe figura.
Quod precor munus mage luculentum
Quiſſet humanis dare Rex IESVS,
Quàm palàm ſeſe moriturum amaro
Tradere letho?
Hoc mihi maius ſiquidem videtur,
Texta quàm vaſti fabricaſſe mundi
Primitus, ſolo ſimul & creaſſe
Omnia nutu.
At recordatur quotus iſta quiſque,
Mente perpendens memori ſcatentem
Gratiæ fontem, & roſeo piatas
Sanguine terras?
Sæpe ſuggeſtu faciens ab alto
Verba ad auritum populum ſacerdos,
Prodidit plagas, obitámque fixo in
Stipite mortem:
Et pati CHRISTVM voluiſſe dixit,
Nos vt à dira Styge vindicaret:
Sic & aſſertos animaret omnem
Ferre laborem.
Non enim ſolam populo ſalutem,
Et reis CHRISTVM veniam attuliſſe,
Eſſe at exemplo quoties acerba
Cunque fatigent.
Sed domum poſtquam ſacra ab æde ventum eſt,
Quicquid infuſum fuerat monendo,
Effluit ſenſim, redeunt priores
Pectore curæ.
Hinc Auernalis veterator aulæ
Vrget, hinc mundus laqueóſque tendit,
Inde titillat caro blanda, pellax,
Improba Syren.
Arguat cunctos licet iſte ſermo,

Quos fides lymphis sacra cunque tinxit
Lustricis, hæc me tamen inter omnes
Nænia tangit.
Proinde fecisti bone Delphe gratum,
Frigidis quòd me nimis heu Camœnis
Deditum, ad cæli celebranda posthac
Regna vocasti.
Audio hortamenta volens, paratus
Næ tua, & spretis nucibus (quod aiunt)
Quicquid est artis mihi, viriúmque, ad
Seria verto.
Editos ô si reuocare lusus
Prorsus, & Vulcano abolere possem,
Vel procellosi rapidis in vndis
Mergere ponti!
Maximo dignum sedenim cachinno
Quòd mihi tantum tribuas, vt ipsi
Daunio vati socies me, & aias
Esse secundum.
Quàm sit hæc noui tenuis supellex,
Quámque tentanti mihi molle carmen
Obstrepant Musæ, medióque cursu
Sæpe relinquant.
Iustius tete (mihi crede) multo
Hi lyra insignem deceant honores
Cum modos Regis Solymi Latino
Pollice fingis.
Hac ego in scena sequor vt choragum
Te lubens, partes & ago secundas,
A tuis latum neque flexus erro
Gressibus vnguem.

Ad Nicolaum Beraldum Aurelium.

AEgineta fuit Beralde Lampis
Vir potens, locuples, pecuniosus:

Cuius innumeræ rates vehebant
Longinqui tumidas maris per vndas,
Allatas Syriis abvſque merces.
Quem cum patria diceret beatum,
Propter diuitiáſque laude ferret,
Hæc quidam appoſite eſt Lacon locutus,
Non fortuna beat, ſed vna virtus:
Nec, cæcæ hoc dare ſi Deæ velimus,
Magni vnquam hanc faciam beatitatem
Pendentem à Zephyris rudentibúſque.

Pſalmi CXII. paraphraſis.

Fœlix qui Dominum timet,
Et qui iuſſa facit gnauiter illius,
Conſolans animum piis
Hoc mundi ambiguo tramite gaudiis.
Eius poſteritas potens
In terra amplificis fiet honoribus,
Et magnis opibus domus
Diuina veluti prædita virgula
Floreſcet, neque candidæ
Fructus iuſtitiæ deerit amabilis.
Lux inſontibus & piis
(Dum turba in tenebris cætera deſidet)
Cælo deſuper arduo
Effulſit, dubias panderet vt vias,
Et caliginis obuiæ
Inuiſum radiis exigeret chaos.
O fœlix ter & amplius
Cui vulgum in tenuem prodiga dextera eſt:
Et qui ſtans ſolida fide
Dictis, mutua dat gratuito ac libens,
Virtus permanet illius
Indelebilibus credita paginis,
Rumores neque friuolos

Formidat, Domini fretus ope vnius.
 Imperterrita pectora
Non turbat strepitus, non truculentia.
 Præsentem ille animum gerit,
Hostes dum videat funditus erutos.
 Dispergens inopi dedit
Secretis fuerat quicquid in horreis,
 Nec congesta tenaciter
Possedit cumeris farra latentibus.
 Proinde æuo memori decus,
Et mansura vehet gloria ad æthera
 Tanti iustitiam viri.
Limis hæc oculis interea videns
 Frendebit tamen impius,
Concussisque minax dentibus infremet.
 Sed frustra: quoniam irritum
Est quicquid cupiit sons, & inefficax.

In natali Virginis Mariæ.

Fortunate nimis dies,
 Albo & digne lapillulo,
 Quo CHRISTI genitrix bona
 Hasce prodit in auras.
Te versu memori & lyra
 Vates melliflui ferant:
 Te sacris celebrem annuis
 Castus rite sacerdos
Tollátque, ac prece sedula,
 Et thure & facibus frequens
 Ad delubra nitentia
 Plebs ebuccinet Annam,
Quæ partu omnibus vtili
 Formosam Mariam tulit,
 Nasceretur vt indidem
 Magni conditor orbis.

Tres ergo lepidis mihi
Sunt cantandi epigrammatis,
Mater Virginis inclyta,
Et cum Virgine CHRISTVS.
Gyro lux reuolubili
Redibis quoties noua,
Dulcem hymnum modulabimur
Arguto tibi plectro.

Psalmi CXVI. paraphrasis.

Optimum cunctæ celebrate gentes
Maximum cæli Dominum corusci,
Laudibus sanctis spatiosa tellus
Tollat eundem.
Quippe nobiscum bonitate mira
Egit, expromens miseris salutem:
Veritas eius rata permanebit
Omnibus æuis.

Actio gratiarum ad Deum.

En nos egentes, & miseri Deus
AEterne, sumptis pro dapibus tibi
Pæanas altori sacramus,
Sollicitas agimúsque grates.
Largitus atqui pabula corpori
Iusta educando, mox vti viribus,
Ad munia auctis, & labores
Impigrius redeamus aptos:
Cælestis ô ne munera dexteræ
Nobis recidas, sed potioribus
Dona vsque donis profluenter
Accumulans, epulis sagines.
Instanter abs te nanque reposcimus
Escam Angelorum, panem & Olympicum, vt
Impertiaris, sempiterno

Corda fouens adipata verbo.
Paſcatur illa mens alimonia,
Et roboreſcat carne Deus tui
Nati ſacroſancta, ac cruore
Purifico, mala cuncta contra.

Hymnorum libri quarti finis.

Salmonii Macrini Ivliodvnen. Cubicularii Regii Hymnorum liber quintus.

Ad Io. Bellaium S.R.E. Card. ampliſs.

Marcidis herbæ foliis iacentes
Vt repentino vegetantur imbri,
Quas male afflarat furioſus acri
Sirius æſtu:
Sic tua Bellai opera refectus
Antè cum ſemi heu modo viuus eſſem,
Prodeo à curis vacuus, mihíque
Redditus ipſi.
Hei mihi tantis meritis quòd impar
Haud queam dignas ſoluiſſe grates,

Insolens plectri, modicæque Musæ
Cantor inaudax.
Quæ lyræ neruis Dea versibúsque
Præsides doctis, meditare carmen
Antè inauditum, sociásque tecum
Iunge sorores.
Antra Bellaium latebrosa, saltus
Frondei Bellaium iterent, & vndæ
Quas vagus flaua Liger in profundum
Voluit arena.
Herculem Herois alius cothurnis
Dicat inuictum populos per omnes,
Et Cleonæi humeros amictum
Pelle leonis.
Vt Libym pressu, pedibus iuuencum,
Igne lernæam superarit hydram,
Alites telis, Erycémque cæstus
Verbere crudi:
Lydiæ vt iussu dominæ pudenter
Texerit Coa sua membra palla,
Crassa robusto tenuarit idem
Pollice fila:
Vt've Colchoæ magicis puellæ
Cantibus tauros subigens furentes,
Aureum vellus Scythicis Iason
Vexerit oris.
Arboris densæ resupinus vmbra
Iane te tantum celebrabo, seu sol
Mane collustret sola, siue Iberum
Flectat ad æquor.
Dignus es nostro prope solus æuo,
Cui sacri vatum vigilent labores,
Flore cui texant roseo nouémque
Serta sorores.

Ad Iacobum Colinum Antiſtitem Ambroſianum.

Huc quis ſodales ocyus euocat,
Et ſuaueolenti ſpargit humum roſa?
Myrto quis aptandas capillis
Deproperat nitidis coronas?
Hæc ſingulari lætitia dies
Eſt exigenda, hæc adiicialibus
Cœnis, inexhauſtóque menſæ
Regificæ celebranda luxu.
Baccho labantes nec male ſit pudor
Arboſiano ferre mihi pedes,
Lingua nec infræni referre
Quæ Monachũn grauis ordo damnet.
Penſare longi proſperioribus
Fas ſit viciſſim tempora tædii,
Saluóque gratari (ferebant
Quem modo depoſitum) patrono.
Viuit Camœnæ faucibus erutus
Colinus Orci, viuit Io meus,
Cumæam & huic ſpondent Sororum
Fila trium renouata vitam:
Vt veſtra myſtes Orgia idoneus
De fonte puro progrediens ferat
In regna Gallorum, ſacrũmque
Rite chorum inſtituat per vrbes.
Quis feriati nunc Ducis otia
Inotioſis colloquiis fouet?
Regum quis & paces & arma
Martia commemorat priorum?
Te conualeſcentem alta Lutetia,
Te voce Nymphæ Sequanides vocant,
Te regia inuitat, recultæ

Te veteres Luparæ Penates.
Vt sit salutis cura tibi tuæ
Coline verbis pluribus obsecrat
Non vnus è vulgo, sed ille
Gallia cui spatiosa paret.
Franciscus inquam qui te amat vnicè
Industriæ ergô, & nobilium artium,
Quas doctus ornasti, obuióque
Vsque patrocinio extulisti.
Qui seu citatæ grandiloquentiæ
Ingens fragosis fulminibus tones,
Sermone seu presso fluentis
Eloquii penetres in aures,
Labris loquentis suada vel efficax
Lenire tigres Armenias sedet,
Et saxa mollire, & ruentis
Sistere aquas Rhodani rapaces.
Concessa diæ proin tibi longior
Vsura lucis Diis statuentibus,
Qui sceptra Francisci ministro
Sunt veriti spoliare tanto.
Ah si cadentem te mihi florido
Extinxet æuo lethifer exitus,
Cur ipse mansissem superstes
Parte mei potiorè rapta?
Exempla mortis sponte obitæ dabat
Solduriorum turba fidelior,
Constanter infernas secuta
Sæpe suos dominos ad vmbras.
Nunc aure nostras qui facili preces
Exaudierunt Cælitibus bonis,
Susceppta persoluo Patrone
Vota libens, meritásque grates.
Donariis & munera largiter
Promissa reddens, igniferas faces

Affigo delubris, diu te
Sospitem & incolumem precatus.

Ad Io. Dampetrum monachum.

Quin tu Dampetre floridis in hortis,
Ifsus pampineis in ambulacris,
Secessúque domus amœniore
Vmbroso, arboribus, nemusculísque,
Scribis quod recreet bonum sodalem,
Dilectum tibi, téque diligentem
Fraterne, ex animo, vnice, ac viciſſim?
Cum ſint otia tanta, nec ſit vllus
Qui mentem meditantis inquietet,
Aut dulci auocet à remiſſione?
Atqui (forſitan inquies) decebat
Te præſtare magis, quod impudenter
A charo officium exigis ſodale.
Ah non par ratio eſt vtrique noſtrum:
Nam me Dampetre ſemper occupatum
Scis rerum in ſtrepitu domeſticarum,
Vectigalibus aut ſalariorum,
Vt nec ſit mihi tantulum vel otii.
Quid conclauia quod nec examuſſim
Conſtructa, aut viridis receſſus horti,
Nec frondentibus ambulacra ramis
Inuitant numeris pigrum canendis?
Sed ſegni magis abditum latebra,
Et gurguſtiolis araneoſis
Iugis anxietas coméſtque cura
De ſtatu populi periclitantis,
De diſcrimine Regis, atque regni
Sumptis quod male Cæſar vrget armis:
Sanum at cætera compotémque voti?
Nil afferre queas amice tale
Huic quod deſidiæ patrocinetur,

Quæ tam te graui adobruit veterno,
Vt lethargicus eſſe dicteris,
Verum id iam Monachis peculiare eſt.

Pſalmi XCIX. paraphraſis.

Stellantis Domino Deóque cæli
Paſſim iubila terra fundat omnis.
Exultatio gaudiúmque lætos
Cultores & ad eius ora ducat,
Puro pectore ſeruiant vt illi.
Nimirum Deus, & monarcha rerum eſt,
Qui totum ex nihilo creauit orbem:
Nos non fecimus, author ipſe noſtri eſt,
Eius vt populúſque gréxque ſimus.
Portas ingrediamini patentes,
Eiúſque atria lumínoſa, ſiqui
Grates illi agere & referre laudes
Geſtitis, prece & inuocare caſta.
Ille ille aſſidua celebritate
Eſt laudum meritò colendus vnus,
Incuruetur ei genu omne ſoli,
Iuſſis pareat & libenter eius,
Quicunque ætherea fouetur aura.
Quàm multæ eſt Dominus benignitatis!
Et quantæ bonitatis idem in omnes!
Non vni modò ſeculóque verax
Dandis pollicitis ſuis, ad omnem
Sed conſtans quoque ſempiternitatem.

Ad Vidonium Corniculã Archaicen.

Pro noſtra veteri neceſſitate
Mi Cornicula, mutuóque amore,
Feſta ex quo face coniugata mecum eſt,
Quæris quot mihi liberos venuſta
His octò ediderit Gelonis annis.

Tres mares,totidem parit puellas,
Alterno ordine at vtriusque sexus.
Nam primo est Helena orta prima partu,
Honoratus habet locum secundum.
Quos ceu primitias sibi dicatas
Vitæ limine protinus,tenelli
Accepit Deus & diebus æui,
Ac cælo innocuos locauit alto.
Læto tertia dein Susanna partu
Vitales oriens subiuit auras,
Quam deinceps Charilaus est secutus:
Hunc item Maria,hanc Theophilúsque,
Cum mater foret ipsa quinque lustris,
Nec spes defereret ferax colonum
Messis vberioris in futurum.
Hæ Cornicula sunt opes Vidoni,
Necnon deliciæ tui Macrini,
Quas mutare Britanniis recusem,
Crœsi diuitiis & anteponam.
Fœlix,cui sua cunque grata sors est.

Ad Adrianum Drusum Iuliodunen.

Druse in assuetum redeamus orbem
Carminis nostri,melicóque cantu
Gaudeant tactæ fidis & Latinis
Versibus aures.
Rupibus dum Thrax modulatur Orpheus
Auiis,neruos citharæ ferítque,
Ad feræ cantum veniunt,morantur
Flumina cursum.
Per tua Amphion,Aracinthe tesqua
Arbores plectro trepidas eburno
Traxit auditum,Tyriámque in vrbem
Saxa coegit.
Sub fera quin & Polyphemus AEtna

Flexit argutis Galathean odis,
Capta rorantes agit illa dulci
Voce iugales.
Si colant docti mea scripta, mirum:
Hos sinu & passim foueant libellos,
Quæque suggessit mihi blanda dexter
Carmina Pæan.
Fulta si non est pariis columnis
Mi domus, seu quæ veniunt Caristo,
Nec laboratum rutilo lacunar
Fulgurat auro:
Arbores si non meus hortus æquat,
Ipse quas Phæax biferas habebat,
Fons nec in nostras properat per artem
Defluus ædes:
At suo Musæ comites alumno
Carmina afflantes operosa dictant,
Nec pedem nostris agilem recusant
Ferre choreis.
Ergo ter fœlix erit his quaterque
Versibus quisquis celebrescet olim,
Per futurorum memor & volabit
Ora nepotum.
Nam nec Elæi Iouis alta templa
Molibus fulgens imitata cælum,
Celsa Mausoli neque busta Caris,
Pyramidésve,
Structa nec sumptu Babylon superbo,
Coctili quanuis decorata muro,
Mortis extrema nimium seuere
Lege vacabunt.
Hæc ruent olim populante flamma,
Aut situ longo, aut pluuia fatiscent:
Excidet nullo sed enim Camœna
Nobilis æuo.

Hecubæ captiuæ querela.

Atropos iam tum mihi dura cladem,
Iam tum & ærumnas ſuperi parabant,
Cum meus ſyluam Paris arboroſa
Vertit in Ida:
Salſa Neptuni vada tranſiturus,
Vt rate auferret celeri Lacænam,
Pulchrior qua non ſub vtroque viſa eſt
Fœmina Phœbo.
Ecce me circum mala multa vallant,
Et malis longè grauiora fata,
Publicos Troiæ peperítque priua amentia luctus.
Hæc quidem clades aliunde nata eſt,
Multiſons ex quo volucri ſiniſtra
Ida tres vidit ſine veſte nato
Iudice Diuas.
Inde fax tanti lachrymoſa belli,
Inde tot Troes Danaíque cæſi,
Liberûm ſtrages, Phrygiǽque caſus
Flebilis aulæ.
Aſt ad Eurotam quoque nunc puella
Quæpiam forſan gemit, Inachúmve,
Hic quòd immiti iaceat peremptus
Cæde maritus.
Et manum cano capiti genitrix
Iniicit charis aliqua orba natis,
Ac furens malas auido cruentat
Vngue ſeniles.
Quò magis florens ſtatus ipſe rerum,
Pluribus regnis opibúſque fultus:
Hoc tamen lapſus grauior, magíſque
Dura ruina eſt.
Ecce regnatrix Aſiæ feracis,

Affluens auro, & genus omne gemmis,
Tot ministrorum procerúmque densa
Cincta corona:
Liberis fœlix vtriusque sexus,
Et viro & quondam patre Rege pollens,
Quam repentino tamen vna nox dat
Turbine pessum.
Vt forem exemplo nihil esse tutum
Quamlibet magnis, Nemesísque quantum
Ardua vlciscens queat, inqne culmen
Infima tollens.
De meæ sago tamen audiisse
Ore Cassandræ memini, canentis
Dardanæ stirpi fore vti vicissim
Seruiat Hellas.

Ad Iuliũ Camillum de efficacia fidei.

Si fidem citra Domino placere
Teste vel Paulo nequeamus vnquam,
Hæc iter nobis & ad alta cæli
Muniat astra:
A Deo crebris eam vt impetremus
Vsque nitendum est precibus Camille,
Spiritúsque huius dator ille pura
Mente rogandus.
Nam simul castum penetrarit atque
Pectus, à celso veniens Olympo, &
Mentis arcanum vegetarit imos
Pneuma recessus:
Sponte tum fructus operum sequentur,
Et boni mores, pietásque viua,
Tum Deo fient generosa gratum
Pectora templum.
Per fidem æterno Patriarcha iustus

Principi cordi fuit,& litauit,
Quod iubebatur faciens in omni
Moriger actu.
Quippe cum feris Deus almus annis
Iam seni optatam sobolem dedisset,
Et spopondisset numero sine vllo
Multiplicandam:
Mox eam stricto gladio feriri
Iussit,extructa statuíque in ara
Victimam summo teneram supini
Culmine montis.
Non patrem segnis dubiúsve mœror
Occupat,iussis hilarus voléns que
Paret,& credit rata dein Tonantis
Verba futura.
Quale spectaclum!puer in cacumen
Montis excelsum duce patre pergens,
Ligna fert pressis humeris agendo
Congrua sacro.
Cúmque libraret genitor securim,
Victimaturus sobolem tenellam,
Ecce per sudam veniens repente
Angelus æthram,
Brachii iamiam ferientis ictum
Fregit,humanam vetuítque cædem:
At loco nati Domino repertus
Cæditur agnus.
Rector hanc cæli probat obsequelam,
Reddidit iustum pietas parentem,
Qui fide certa foret imperantis
Iussa secutus.
CHRISTVS immensi reparator æui,
Perditos dura cruce qui redemit,
Det fidem nobis,fideíque verum
Fertilis vber.

Ad Virginem matrem.

Regina mundi, Virgo puerpera,
Qua nulla nata est fœmina pulchrior,
In'que axe quam circum corusco
Stat volucer chorus Angelorum,
Tu pura vincis lilia lacteo
Candore, fusas Alpibus & niues,
Collata sordescítque tecum
Alba rosa, & nitidum ligustrum.
Signata næuo ne minimo quidem,
Talos ad imos vertice ab arduo
Formosa, cælestísque plastæ
Mirifico fabricata torno.
Tu regum auita clara ab origine
Omnes Hebræas exuperas nurus:
Effert nec idcirco modestam
Nobilitas generosa mentem.
Te nascituram carmine præscii
Scripsere quondam faticino senes,
Laturam & aluo virginali
Aurea qui regat astra, fœtum.
O quæ voluptas? quantáque gaudia
Exuberarunt pectoribus piis,
Errore cum exploso Deorum in-
notuit illa tua alma proles?
Et nuntiatum est gentibus omnibus
Sparsis per orbem latiuium, à tuo
Tantum esse sperandam salutem,
Nec miseris aliunde, nato.
Tum facta rerum mira nouatio est,
De principatu tum veteri fremens
Frendénsque cessit, luctuosum
In Barathrum Antitheúsque fugit.
Hoc pro perennis munere gaudii,

Et suauitatum indeficientium,
Sunt gratiæ imprimis agendæ
Artifici Dominóque rerum.
Nec florulentis non epigrammatis
Tu digna laudum, quæ thalami inscia
Fers Patris æterni propagem
Flaminis auspiciis beati.

Ad Augustum Triuultium Cardinalē amplifs. Pauli summi Pontif. in Frācia Legatum.

Vox vnde nostris influit auribus
Tam læta? rumor murmure quis leui
Iucunda diuulgat repens, &
Huc niueis volat vsque pennis?
Honore sacro clarus ab Italis
Augustus oris hîcne Triuultius.
Legatur? in Franco vicésne
Pontificis gerit orbe summi?
O singulari lætitia diem,
Gemmísque Thracum more notabilem!
Iam nomen haud virtus inane est,
Iam meritis erit ampla merces.
Candore siquis præditus enites,
Rectúmque præfers (vt decet) improbo,
Lætare sortitus patronum
Plausibilem, & merito verendum.
Et tu secundo siquis Apolline
Afflatus, audes digna lini cedro,
Crinémque Musarum sacerdos
Pieria redimis corona:
Orsis fauorem dulcibus incipe
Sperare tandem, iustáque præmia:
Accingere & mentem labori

Egregio, & fidibus mouendis.
Non vana votis ludet inanibus
Manare doctum mella poetica
Spes vatem, humo nec ſeminabit
In ſterili, bibulíſve arenis.
Fœlix ea olim eſt copula, cum genus
Illuſtre mores condecorant boni,
Nec labe declinat quis vlla
Stemmate ab eximio parentum.
Hunc à Toparchis nobilioribus
Burgundionum fama ſatum refert,
Mutare qui ſedes coacti,
Inſubriam petiere opimam.
Illic manúque & Marte Triuultia
Inclaruit gens, nominis & decus
Extendit Eoos ad ortus
Solis ab Heſperio cubili.
Primæ illa nunquam quid quod originis
Oblita, Francis partibus addidit
Se ſemper, affectúque fido
Fouit opes ſtudioſa noſtras?
Auguſtus atqui non titulis domus
Contentus altæ, & ſanguinis inclyti,
Se fruge doctrinæ ſalubris
Excoluit, ſophiáque ſancta.
Nec feſta adiuit non etiam Orgia
Vatum, iuuenta feruidus impigra,
Et voluit authorum bonorum
Omne ſagax genus artiúmque.
Nil ergo mirum ſi modò tertius
Ornauit illum his Paulus honoribus,
Legatum & ex omni creauit
Oſtriferi numero Senatus.
Torquent Olympum numine qui ſuo,
Tantum mihi æui Cælicolæ annuant,

Florente dum possim Camœna
Rite tuas memorare dotes
O purpuratæ gloria curiæ
Præstans Triuulti, quo tumet Itala
Sese efferens tellus alumno,
Gallia quo sacra agente gaudet.
Fari volentem Lesbide barbito
Præco[illegible] hæc, vis me aut mea deseret,
Aut voce olorinum canorem
Melliflua superabo vates.

De Petro Pylade monacho, ad Carolum Seuinum Aurelium.

Haud procul Petrus Pylades ab vrbe,
Quæ caput regni populis abundat,
Quam bipartitis penetrat quietus
Sequana lymphis:
Ruris in phanis agitans remoti,
Virgines sanctè Domino dicatas
Erudit, quà sit via sempiterni ad
Gaudia regni.
Otii ô grata requiete fœlix
Mens viri, quæ per volat alta cælum,
Quæque constanter studiosa CHRISTO
Hæret amando!
Non eam gazæ, neque consulares
Purpuræ à recto potuere calle
Flectere, aut sensus rapiens inani
Gloria plausu.
Maximos i nunc proceres, Ducésque
Cum meo confer monacho, videbis
Millies illis magis hunc videbis
Esse beatum.
Proin tibi grates ago Carle, quòd me

Tædio affectum ſtrepitúſque & vrbis
Turbidæ, vt curas releuarem edaces
Duxeris illuc.

Ad Io. Coſſeiam virginem nobiliſs.

Docta ô tempora, ſeculúmque fœlix
Poſſit iure quod aureum vocari!
Ter nondum tria tranſiere luſtra,
Cum regnaret in orbe ſcabra Gallo
Paſſim barbaries, nec vllus eſſet
Qui Græcè loqueretur ac Latinè,
Et Muſis vti par bonis vacaret.
At nunc ô Deus! ô beata ſecla!
Romanas pueri, innubæ & puellæ,
Ac Graias auidè ſequuntur artes,
Et ſeſe eloquii excolunt lepore.
Tu Coſſeia mihi venuſta teſtis,
Quæ clarum genus, aureámque formam
Doctrina excolis eruditiore,
Ac tete ingenuo colore pingens
Exornas Charitum poeticarum,
Et refers veneres venuſtiores
Noſtro Pieridum vna facta ſeclo.

Ad Antonium Leonium Cõſiliarium Regium.

Plærunque rebus conueniunt ſuis
Impoſta nobis nomina: præbuit
Inſigne cognomen leonis
Indomita indomiti tibi vis:
Quo ſis vt olim robore præditus
Clareret, & quàm interritus aſperos
Contra labores, atque vitæ
Omnibus in generoſus actis.

Insana sed vis, sed feritas abest
A mente leni: sícque tuos regit
Natura conatus Deúsque,
Iure vt agas nihil ipse summo.
Virtus Leoni hæc cælitus inditur,
Hi ab axe mores proueniunt, fouet
Doctrina quos rerum sacrarum,
Ingenuæ & studium Mineruæ.

Ad Hilermum Bellaium Langium.

Si noui bene te diserte noster,
Quanuis nunc procerum ambiare cœtu,
Magnorum alloquio & fruare regum,
Quos sancto vnanimos amore longa
Iam concordia páxque fœderauit
Tete interprete, nuntióque rerum
Per quas creuit amor, fidelitásque, &
Facta est regibus vna mens duobus:
In tam conspicua virûm corona
Macrini memor es tamen, nec ille
Conuentus celeber, notabilísque
De me quominus impedit loquare.
Fortasse & cupias habere tecum,
Vt tantummodo testis esse possim
Partæ istic tibi gloriæ atque honoris:
Illa & gaudia conscius Camœnis
Quanuis illepidis, meis referre.
At quando dirimunt vtrunque longæ
Interualla viæ, tenáxque cura
Concessos mihi liberos alendi
Ad te non sinit euolare auentem,
Ne mi ne tamen ô Patrone desis
Absenti, obtulerit parata si se
Fortè occasio amiculum iuuandi.
Nec me propterea putes auarum:

Non diues cupio, sed esse liber.

De nomine IESV Augustiss.

Quosdam esse vates (si superis placet)
Fama est, IESV nomen Olympicum,
Insuaue quęs eheu videtur,
Nec citharæ modulis canendum.
Nostras quod aures nescio quid sonat,
Offendat (aiunt) vt rude, barbarum,
Agreste, & auersum affluenti
Fonte Heliconiadum sororum.
Præposteri væh iudicii viris,
Doctis sinistra prorsus & alite,
Quos Lerna tabo viperino
Sparsit, aquis Stygiísque Pluton!
Vobísne IESV nomen amabile,
Vernísque dignum floribus miseri, &
Gemmis Hydaspæis nitere,
Horridulum est, & inominatum?
Egnatio visum haud ita martyri,
In corde cuius celebriter aureis
Hoc nomen inscriptum figuris
(Viscera dum laniantur) extat.
O rex IESV qui cruce lignea
Suspensus orbis crimina perditi
Deles, & æternam reponis
Morte piis obita salutem:
Tuo mihi nil nomine dulcius
Quæso sit vnquam, nil pretiosius,
Illius aduersus furentem
Dæmona sim clypeo vsque tutus.

De Carolo Bracheto cõsiliario Regio.

Versus cum legerem meos Bracheto,
Fido Longolii assectæ Bracheto,

Docto insigniter vtriusque linguæ,
Eius siqua fides habenda verbis,
Fallaci neque laude blandiatur,
Commendasse mihi & probasse visus,
Dicat qui volet esse nos ineptos,
Atque auræ popularis appetentes,
Delector tamen, æstimóque magni
Nugas hasce meas remissiores
Tanti iudicio viri probari,
Cui mens, ingenium, sagàxque naris,
Ipso & lumina acutiora Lynceo.
Quidni iudicio hoc superbiamus,
Brachetíque fauore gloriemur?
Fallatur licet, & Brachetus erret,
Dum poemata laudat immerentis:
Errore illius attamen fruemur,
Et nos esse aliquid palàm loquemur,
Freti authoréque & arbitro Bracheto.

L. Tellignius ad Arethusam.

Illibata puellula,
Præclaris neque non orta parentibus,
Cuius grata decentia
Formæ & munditics me mihi surpuit:
Cui stellis oculi pares,
Et frons sub rutilis lucida crinibus
Multos sollicitant procos,
Qui me diuitiis forsitan anteeant.
Me constans tamen omnibus
Præfers, atque virum non alium cupis.
Vt leues taceam genas,
Atque æquanda rosis ora rubentibus,
Vt linguæ veneres tuæ
Sermonémque fauis dulcibus oblitum,
Ecquid coniugii memor

Noctu mœsta gemis, mœsta gemis diu?
  Absentémque procul tuum
Suspiras tacitis saucia ab ignibus?
  Aut fallor mea lux, moræ
Aut tam longa dolens tædia fers meæ.
  Sic Phyllis Rhodopeia
Actæum patrio littore coniugem
  Sperauit reducem diu.
Sic flauum Hypsipyle tristis Iasona.
  Blandis vtraque vocibus
Deceptæ. trifidis sed prius ignibus
  Irati feriar Iouis,
Ac terræ subitis viuus hiatibus
  Labar Tænareum in chaos:
Promissam tibi quàm sustineam fidem,
  Pacta & connubialia
Dispergi AEoliis irrita flatibus.
  Me torret face mutua
Qui te incendit amor, nullâque fœmina est
  (Sint cultæ Italides licet,
Vultúsque ingenui gratia amabiles)
  Quam præferre tibi velim.
Flammæ principium & finis eris meæ.

Ad Nicolaum Britannicum Cãpanum de munusculis ad Gelonidem missis.

Hæc Nicolao pauca Britannico
  Charo mi ocellis non secus ac meis
  Pimplæa (si non sit molestum)
  Exposuisse agedum memento·
Grates Gelonim exoluere maximas
  Nostram, quòd illi pectinem eburneum,
  Cum theca inaurata eleganter,
  Miserit & speculum ipse rarum.

Hoc hoſpitis ſe mnemoſynon ſui
 Abſcondituram dicere in arcula
 Clauſa, nec vſuram diebus
 Munere eo niſi forte feſtis.
Addes & à me perbreue amiculo
 Hortamen iſtud, ne malè ſcilicet
 Conſultus imprudénſque chartis,
 Anteferat gladios minaces.
Securus alto ſed mage in otio
 Pugnata noſtris prælia ſcriptitet,
 Incumbat & libris docendo
 Ingenuas Arethuſan artes.
Hæc verba poſtquam paucula dixeris,
 Obliuioſis non tamen auribus
 Credenda, multam impertieris
 Nomine Muſa meo ſalutem.

De conſtantia Martyrum.

Integræ fixa eſt cui cura vitæ,
Quíque cæleſtes ad opes anhelat,
Numinis cultor pius, & caduci
  Spretor honoris:
Cuncta quæ mundus pretioſa ducit
Fortis irridet, nihilíque pendit:
Nec dapum luxu, neque commouetur
  Diuite gaza.
Omnis in CHRISTO eſt animi voluptas,
Omnis ínque eius nece cogitatus,
Cæli inardeſcit modò amore, & illuc
  Lumina tendit.
Non metus lethi quatit vllus illum,
Orbe cum vitam cupiat relicto
Ponere, & cauſa fidei cruorem
  Fundere rubrum.
Hoc flagrauerunt ſtudio beati

Martyres, quos nec gladiis Tyranni,
Nec fame longa, aut potuere sæuis
Vincere flammis.
Talibus merces datur ampla cælo, &
Quamlibet duros superans labores,
Perpes æquetur Superûm quibusnam
Gloria pœnis?
Per pius prunas medias vir ibit,
In'que ridebit rapidis fauillis,
Fulgurent nec si frameæ, timebit
Vulnere lædi.
Quos amor CHRISTI, probitas, fidésque
Robore arcano stabiliuit, esse
Flagra proponunt leue ferre, & omnes
Corpore pœnas.
Erigit mentem bene prælianium
Certa spes vitæ melioris, & post
Fata victori in rutilo reposta
Axe corona.

Ad Musam de laudibus Fräcisci Regis.

Seu Laureta iugi densa biuerticis,
Seu te ruris habent gramina Thespii,
Aurata huc properè non sine barbito
Dulcis Terpsichore veni.
Quàm vati Rutulo, tam facilis mihi,
Augustum melico carmine dum canit,
Clarorúmque domi ac militiæ virûm
Docta gesta sacrat lyra.
Regum non dubiè maximus omnium,
Insignísque suæ gloria Franciæ,
Franciscus celeber nominis omine
Dicendus fidibus nouis.
Nam nunc Insubria victor ab vbere
Vexilla ante Deos hostica patrios

Suſpendit pius,& Gallica laureis
Ornat regna recentibus.
Hoſtes attonitos vidit & Abdua,
Tranquillóque fluens Mincius alueo
Deſpondere animum,deſerere ordines
Perfractos equitum impetu
Noſtrorum: agna lupos vt noua Martios,
Sic Gallum Verager fractus & Antuas
Inſtantem iuga per frondea montium,
Per valles fugit inuias.
Non fulgens roſeo murice pileus
Sedunum eripuit,lingua vel eloquens:
Nam caſtris tacito tramite perditus
Exangui egreditur metu.
Tantam Liligeræ gentis adoream
AEui nulla dies deſtruet,inclytos
Narrabunt proceres,magnanimum & ducem
Certatim quoque poſteri.
Hunc qui vincat auos laudibus,augeat
Quo bellante ſuos Francia limites,
Et reſponſa Deûm,& ſydera conſona
Paſſim ſignificant fide.
Huic fœlicem Aſiam,& Niliacam Pharon
Cedes Turca ferox,regnáque Dorica:
Atque illata Scythes lilia,& aſperi
Spectabunt iuga Caucaſi.

Ad Hilermum Bellaium Langium toparchum clariſs.

Libertate vti candida fruamur,
Nimirum lapidem mouemus omnem,&
Nullum horreſcimus impigri laborem
Iucundiſſime mi patrone rerum.
Conatu ſedenim irrito atque caſſo

Cedent omnia quantacunque, ni tu
Intendas animum, & benignus adſis.
Fons tu huiuſce rei capútque ſolus,
Solus præſidium, decúſque noſtrum.
Voti reddere compotem Macrinum
Si velis modò, paululúmque tentes,
Cuncta perficies vel otioſus.
Si mi contigerit quies, manúque
Per te mittar ego, ilicet ſolutus
Quantas mox tibi gratulationes
Effundam cithara loquaciore!
Quot te millia carminum, quot amplæ
Scitorum Iliades manent leporum?
Clamabis quoties legendo noſtra
Cycnum ex anſere me repente factum?
Vt te pœniteat fuiſſe lentum,
Prolixáſque moras ſubinde damnes,
Quòd non iuueris ocyus clientem
Iucundiſſime mi Patrone rerum.

In nebulonem quendam.

Machinareris mihi cum ruinam
Vix pili infœlix nebulo putande,
Atque verſares genus omne fraudum
Perfide tecum:
Ora compoſto tibi ſuda vultu,
Intimi geſtus & erant amici,
Subdola in vafro ſedenim latebat
Pectore vulpes.
Te modò hoc verè memini locutum,
Dum mihi incauto dare verba tentas,
Neminem meipſo magis eſſe Franco
Orbe beatum.
Quod licet ficta loquerere lingua,
Méque lactares placitura fingens,

Non tamen dicta hæc Deus esse clemens
Irrita iussit.
Exitus Naso probat acta vt inquit,
Tu velut vitæ maculis mereris
Dura fers, semper medio in periclo
Mortis acerbæ.
Nos sed optata vacui sub vmbra
Arborum, ad notæ fugitiua Brissæ
Flumina effusos canimus sonanti
Pectine versus.
Cúmque concentu satiata mens est,
Et manus neruos feriendo lassa,
Voce anagnostes veterum suaui
Carmina lectat.
Antè sors profer(rogo)sit ferenda
Vtrius, vatis meáne otiosi,
An tua insana ô nebulo vorantis
Cuncta rapina.

Canticum Simeonis paraphrasticῶs.

AEterne Princeps culmina qui tenes
Suprema cæli, nunc(vti dixeras)
Nunc pace compostum in quieta
Decrepitum Simeona linquis:
Quippe hisce CHRISTVM luminibus tuum
AEui supremo curriculo datur
Spectare, diuinam meísque
Stringere progeniem lacertis.
Importuoso quæ velut æquore
Igni relucens flammiuomo Pharos,
Diffundit ecce omnes coruscam
In populos manifesta lucem.
Tristes tenebras gentis & ethnicæ,
Obscura ceu sol nubila, discutit:
Et gloriam auget nationum

Exoriens Solymis piarum.

De Georgio Selua pontif. Vaurensi & regio legato.

Nymphæ quæ nemorum tenetis vmbras,
Et flores legitis per vda Tempe
Plenis sirpiculis adaggerandos,
Seluæ serta meo parate quæso,
Sacræ nomina cui dedere syluæ,
Mutata modò littera secunda,
Vt præsagia dulcioris essent
Oti, & Castaliarum amœnitatum,
Quas vestra coleret quietus vmbra:
Seluæ pontificum eruditiorum
Longè me Hercule principi, benignos
Seu quis ponderet æstimétque mores,
Artes siue magis bonas, sed illi
Quænam serta Deæ feretis? ô si
Impromiscua, flore non caduco,
Annorum aut seriem timente longam?
Immortalia sint vt ipsa, quando est
His sertis meus ecce Selua dignus.

Ad CHRISTVM Dominum.

AEui lustra nouem iam mihi proxima, &
Albescens propera canitie caput
CHRISTO offerre suadent
Vitæ quod superest breuis.
CHRISTO inquam, ætherei qui sapientia
Est æquæua patris, virgo perintegra
Quem diuinitus olim
Concepit, tulit, edidit.
Et quid me fieret si pede quo prius
Per prærupta viæ ac lubrica pergerem?

Nec vestigia recta
Ad cæli atria flecterem?
Si mersus vitiis non resipiscerem,
Sectarer rapidos mentis & impetus,
Iusta iniustáque miscens
Annis vt male sobriis?
Extirpare parens optime maxime
Quæ sunt praua velis, semina & indere
Virtutum omnigenarum,
Ad frugem vt redeam bonam:
Ad flammas meritum ne Phlegetontias,
Ardentémque olido sulphure Tartarum,
Me proturbet amarus
Summi iudicii rigor.
Illic fumiferam lampada mobili
Quassans Tisiphone lurida dextera,
Obiecto igne nocentes
Terrétque anguineis comis.
Vndarum sitiens amne fugacium
Frustra haurire parat Tantalus, & rotæ
Iugi voluitur orbe
Audax Pirithoi parens.
Pertusas miseræ Belides ingerunt
Effluxura iterum flumina in amphoras,
Saxum in culmina montis
Vrget Sisyphius labor.
Et tu tergeminis Cerbere hiatibus
Latras vestibuli limine fumidi,
Lernæ & peior Echidna
Stridet bellua centiceps.
Ne illuc me scelerum noxia vis trahat
Quæso præcipitem CHRISTE salutifer,
Neu commissa gehenna
Plectantur mea flebili.
Sed vitæ meditans crimina pristinæ,

Fuſis conciliem te mihi lachrymis,
Et culpas metanœa
Anteactas comite eluam.

Ad Renatũ Fabriciũ Iuliod. de morte Domini IESV CHRISTI.

Annuo ſolis reuoluta gyro
Hæc dies luctum lachrymáſque poſcit
Fabrici, ſunt & ferienda crebro
Pectora planctu.
Nanque ſarturus generis ruinam
CHRISTVS humani, Mariæ alma proles,
Hoc die culpas hominum cruenta
Morte piauit.
Ferreus quis tam precor, vt ſupremi
Principis leto nequeat moueri,
Cum ſuum mœſtus manifeſtet orbis
Ipſe dolorem?
Terra nam mouit, lapidéſque ſciſſi,
Luxit & Titan moriente CHRISTO,
Mortui ſurgunt, Solymǽque velum
Diditur ædis.
Tanta quid mirum fieri? dolores
Quippe tam duros Dominus ferebat,
Eius vt nullum propè cerneretur
Corpore corpus.
Nunc meæ menti ſpecies inhæret
Illa ceu præſens, animúmque ſtringit,
Sancta cum ſudor roſeo rigaret
Membra cruore.
Atqui oportebat genus eſſe mortis
Horridum, cuius modò cogitatu,
Ac citra plagas, fluido maderet
Sanguine corpus.
Nunc flagris cæſum videor videre

Secta, disiungat quoque schisma nullum,
Sentiant omnes atenim quod æquum est
Pectore puro.

Ad Michaelem Rutilium Lambertum Iuliodunen. Ex Græco.

Sectanda vitæ quæ mihi formula
Deliberanti sollicite ac diu,
Quocunque me vertam Rutili,
Omnia plena malis videntur.
Feruent molestis nam fora litibus,
Et continenter causidici strepunt.
Sin forte priuatus: domi me
Tædia & anxietas manebunt.
Si rusticari discupiam: necat
Me rus iniquis triste laboribus.
At regna Neptuni secantem,
Horrida mille premunt pericla.
Amplum esse censum fac mihi diuiti,
Fac esse Crœsi gazam Alyattici,
Tunc si peregrè est exeundum,
Cuncta miser metuam ínque tutus.
Sin dura nudum pauperies premet,
Et farta nulla bulga pecunia
Pendebit, eheu quàm molestum est
Hospitem egere virum Rutili!
Vinclis iugatum connubialibus
Curæ sequentur, multáque acerbitas:
Torquebit ægrum solitudo,
Si placeat mihi vita cœlebs.
Fœcunda coniux me sobole auxerit,
Enutrienda est non sine tædio ac
Sudore: sin deerit, carebit
Lumine vita gementis orbi.

Lanugo primo flore teget genas,
Nullo Iuuenta est consilio efficax,
Canis inalbescet senecta,
Viribus inualida est caducis.
Ergo quod optem quid reliquum mihi est,
Nisi alterutrum si cupiam catus,
Exisse vel nunquam parentis
Ex vtero, interiisse vel mox?

Hymnorum libri quinti finis.

Salmonii Macrini IVLIODVNEN. Cubicularii Regii Hymnorum liber sextus.

Ad Io. Bellaium S.R.E. Cardinalem ampliss.

Mecœnas quod Horatio, Maroni,
Plotio, Vario, Propertióque,
Et doctis aliis fuisse fertur,
Dum commendat eos potentiori,
Multo & munere liberalis ornat:
Macrino id cupis esse non merenti
Bellai Aonidum decus sororum,

Nec vates modo, ſed Patrone vatum,
Franciſci quoties putas fauore
Vllos munifici atque amore dignos.
Eſſe inquam mihi vis id immerenti
Mecœnas quod Horatio, Maroni:
Ac me ſuſcipis, euehíſque nullo
Spectatum officio peculiari.
Nam quæ te ratio mouere poſſit,
Nulla præditum vt eruditione
Tam conſtanter ames, identidémque
Aulai moneas rudem, meandum
Quo ſit tramite, & arte qua obtinendum
Franciſci mihi clauſa ne ſit vni,
Ex omni grege literas amantum,
Tam prolixa manus benignitáſque?
Franciſci aurea quem tulere ſecla,
Clarum militiæ domíque Regem.
Ad cuius ſolium & verenda ſceptra
Vultus deiiciunt ſuos Camœnæ,
Atque inſignia liliata adorant,
Cuſtodem ac Dominum ſuum fatentes.
Vt qui ſcilicet exulum miſertus,
Has regni penetralibus locarit,
Et certos dederit bonus penates,
Curſu Sequana qua fluit biſulco,
Leni Metropolim alluítque lympha.
Verum ad te redeo, affluente cuius
Sic me ſentio gratia obligatum,
Atque his officiis inuſitatis
Deiectum quibus alleuare pergis,
Vt ſi poſſideam quod antè Crœſus
Pactoli ſpoliíſque onuſtus Hermi,
Vincam aut diuitiis potentiáque
Qui olim Perſida dum laceſſit, ipſas
Fœdauit latio cruore Carras,

Soluendo ta men ô Patrone non sim,
Nec dignas meritis vices rependam.
Atqui(quæ tua lenitudo)noſtros
Hos tanti facis æſtimáſque verſus,
Inſulſos licet atque inelegantes,
Vt ſat te hiſce putes remuneratum,
Nec gemmis mage gaudeas vel auro,
Vel pictis veterum manu tabellis.

Ad ſeipſum.

Quid congerendæ cura pecuniæ
Noctes Macrinum percoquit ac dies
Quanam laborantem paternos
Amplificet ratione cenſus?
Me ſi beatum maxima vis opum,
Exoticorúmque atria marmorum,
Si prædia inſignéſque villæ &
Tecta citro laqueata reddant:
Eia, hæc neceſſum cuncta pararier,
Vllum labori nec ſtatui modum,
Splendore dum rerum domóque
Purpureos ſuperem Tyrannos.
Atqui æſtuantis non animi impetum
Sedare magnæ diuitiæ queunt,
Intrinſecus nec cura pungens
Regifico eſt abitura luxu.
Dum parua ſecter, ſeditionibus
Non turbulentis obiiciam caput,
Nec prælia infenſi vel hoſtes
Vlla mihi pariant pericla.
Quærenda quæ ſint inuidia procul,
Tutus quieſcam ſi fugiam ardua:
Nam quicquid excelſum, triſulco
Sæpius igne Iouis feritur.
Contentus hortis proin mediocribus,

Nexísque ſpiſſo palmite pergulis,
Ne ſutor adſpirem (quod aiunt)
In vetitum crepidámque ſupra.
Vitæ exigenti quod ſupereſt mihi,
Notis agellis atque humili domo
Manantis ad riui ſuſurrum
Somnificum, ſalicéſque nanas:
Dicantur hymnis ſuauiſonantibus,
Sapphũſque dulci pectine Leſbiæ,
Heroes æterníque, & ipſa
Cælipotens Mariæ propago.
Diuæ propago Virginis aurea,
Quæ ſede ſummi Patris olympica eſt
Illapſa terris, quo ruinam
Semianimi repararet orbis.
Te vagientem Rex bone Cælitum,
Te membra vinctum mollia faſciis
Viſere paſtores, Magíque
A roſeis Orientis oris.
Authore ſtellæ lumine præuiæ
Matris pudico compoſitum ſinu
Viſere, & aduectas ab Indo
Vſque ſolo expoſuere gazas.
Mortalitatis myrrha typum gerit,
Auri tributo nota potentia eſt,
Panchæa adorando offeruntur
Thura Deo, Superũmque Regi.
Hac luce feſta CHRISTE hominum parens
Supreme, vates te tuus inuocat,
Longǽmque Franciſco precatur,
Paret humus cui Galla, vitam.
Oraculis nam deditus hic tuis
Dignis magiſtros ſumptibus excitat,
Vt pubis intentæ per artes
Ingenia ingenuas reforment.

Ad Pascasium Clementem.

Sex ego perscripsi multo sudore libellos,
Quos tu atque amici Pascasi
(Subdola lingua nisi simulato à pectore distet)
Desyderastis tandiu.
Sed non crediderim differre à pectore linguam
In adeò amicis candidis,
Tusano vtputa, Danesio, comísque Maino,
Necnon trilingui Vatablo:
Vt cunctis taceam lumen venerabile Graiis
Horum patronum Lascarem:
Quem non ambitio vel opum sitis improba, sanctis
Ab institutis auocat
Illustrandi artes veterum, doctósque citandi:
Totúsque in hoc pius senex
Incumbit, regum & procerum & securus honorum:
Satu ipse quanuis regio
Insignis, proauos augustæ in stemmate gentis
Iactare possit Cæsares.
Istis vt gererem Clemens suauissime morem
Amiculis prædulcibus,
Collegi nuper melius latitura profectò
Sex carminum volumina.
Quæ commendabis accurate omnibus, antè
Nido è suo quàm prodeant,
Vt nasutorum ronchos sannásque molestas
Præteruolent interrita.
Nam nisi defendant tantorum scuta virorum,
Quî ausint venire in publicum?

Ad Franciscum Regem.

Regum maxime Rex potentiorum,
Annos iam prope bis decem labore
Sum summo ipse tua frequens in aula,

Et te persequor huc euntem & illuc,
Nec quicquam inde fero tamen lucelli,
Aut rem promoueo peculiarem,
Exhausto iam animi mei vigore.
Cultori ô steriles suo Camœnæ!
Quæ cum tot pariant subinde curas,
Tantos vndique & afferant labores,
Nil prosint tamen, & maligna fallat
Ex agris toties seges recultis.
Nimirum hæc leuius forent ferenda,
Si illo tempore fortè natus essem
Cum tristi Genio malóque fato
Noster barbarie iaceret orbis.
Sed fœlicia me tulere secla,
Quæ te Principe perpolita raris
Cunctarum artibus eruditionum,
Linguarúmque trium diserta cultu,
AEtati nihil inuident beatæ
Pellæi iuuenísque Cæsarúmque.
Hac regni ergo tui feraciore
Tempestate tot exteri atque Galli,
Qua donis & honoribus fouentur,
Doctrinæ modò gratia ac leporum:
Qui fit maxime Rex tuarum vt vnus
Restem expers ego liberalitatum,
Tam pronum neque sentiam fauorem?
An'ne id segnibus imputem Camœnis?
An fato mage syderúmque causis?
Cum Musis tibi par sed est potestas
Ad præcordia concitanda [illegible]atum:
Et maior Ioue, syderum sinistros
Aspectus potis es leuare præsens.
Proinde abs te peto, flagitóque supplex,
Vt me lumine lætiore posthac
Deiectum aspicias, & in tuorum

Admittas numerum, gregémque vatum.
Factúrum puto te rogata, cum sis
Regum maximus, optimus virorum.

Ad Ludouicum Tellignium Toparchum clarissimum.

Bella dum summo studio geruntur
Cæsari Carlo Ducibúsque Flandris,
Sextias pugnax & aquas Iberum
Occupat agmen:
Militas Francis Ludouice castris,
Próque Francisci ditione corpus
Acer obiectas, patriæ & pericla
Spernis amore.
Macte præclara pietate tyro,
Mox Duces inter numerande magnos,
Cui salus Regis patriǽque vita est
Charior ipsa.
His parens olim tuus institutis,
His rudimentis gradibúsque creuit
Ad decus magnum, celebres adeptus
Martis honores.
Non eris laudis iuuenis paternæ
Degener, menti stimulos honestæ
Illa subiunget, face te flagranti
Illa peruret.
Sic Phrygum Pyrrhus veniens ad vrbem,
Patris exemplo feriebat hostem:
Sic Themistoclem decora excitabant
Milciadæa.
Si tamen nostras Ludouice voces
Blandus exaudis docilísque, non tam
Cornipes fuluo cataphractus ære, aut
Noricus ensis:
Non cauus thorax, clypeus, vel hasta

Spem tibi palmæ faciant habendæ,
Quàm facer CHRISTI fauor, ille murus,
Ille sit vmbo.
Tela seu forti iaculere dextra,
Siue equum aduersos adigas in hostes,
Aura cælestis face & inuocetur
Dulcis IESVS.
Et tibi coniux Arethusa mentem
Tangat, exibis quoties ad arma.
Quod redux narres & ei labora
Quærere nomen:
Vt virum propter Superos adorans
Sospitem, sacris pia dona templis
Offerat, lætas salienti agâtque
Pectore grates.

Lætatur eo quòd nuntiatum sit Delphinum conualuisse.

Non semper atris fluctibus Adria
Raucus tumescit, nec mare spumeum
Frangunt inabruptis procellis
Pliades, Olenii vel hœdi:
Sed nube disiecta aureus interim
Titan refulget, flabráque concidunt,
Impune tranquillum & liburna
Fas secuisse salum carina.
Oppressa mœstis pectora nuntiis
Exæstuarunt heu nimium diu,
Quòd fama Delphinum ferebat
Præcipiti cecidisse letho.
Quid? morte mortis quod grauius genus
Ipsa? latentis quippe venefici
Sublatus (aiebant vt omnes)
E medio, cyatho ille tetro.

Vtcunque ſeſe res habuit, tamen
Sancto reuixti munere numinis
Franciſce Franciſci propago
Liligeri generoſa Regis.
Iam luctuoſorum intima pectorum
Ceſſere prorſus nubila, & aere
Iam ſudo inæquales procellas
Lætificum pepulit ſerenum.
CHRISTO decebit iam meritas preces
Offerre, grates ſoluere debitas,
Cantare Pæanas ſacellis,
Atque Arabos adolere odores.
Cur ô miniſtri menſa paratior
Non ſternitur iam? Aurelia cur ſcypho
Spumante deſunt? cur quod Andes,
Quódque tulit bona Belna vinum?
Inter Lyæi munera floridi
Regi parentíque, & ſoboli licet
Victoriam oppreſſo apprecari
Cæſare, Cantabricíſque turmis.

Ad Franciſcum Regem.

Da Princeps veniam tuo poetæ,
Valetudine ſi periculoſa
Tentatus patriam domum reuiſo,
Et cum coniuge liberos amata.
Nam morbo malè qui me habet premítque,
Sic contrarius eſt labor, quietem
Vt vel quærere ſit mihi neceſſe,
Ex hac vel properè emigrare vita.
At ne ſegnitiei inertiæque
Quis patrocinium putet parari,
Ignauæ & latebram remiſſioni,
Reddetur tibi temporíſque & otii
(Si quicquam tamen otii relinquat

AEgrotatio continenter anceps)
Ad vnguem ratio, per & dolorem
Si curam dare litteris licebit,
Plenis millia versuum quadrigis
Mittentur tibi, lectione quorum
Cognosces neque longa separati
Interualla loci, neque impotentem
Vim morbi potuisse sæuioris,
Quin regum ô celeberrime optimorum
De te nocte diéque cogitarem.

Ad Titum Pinnium Iuliodunen.

Ergóne Orphæis fidibus, canebas
Quos modos nuper vacuus, relictis,
Atque Parnassi bifidi valere
Numine iusso,
Castra Gradiui sequeris cruenti,
Militem mauis Tite, quàm poetam
Esse te? plus quàm bona Musa cordi est
Letifer ensis?
Et quis hæc quæso ratus esset vnquam?
Quis neget cursu Ligerim reflexo
Iam meaturum, reditura ad ipsos
Flumina fontes?
Hactenus sacris operata Nymphis
Dextra crudeles gladios coruscat,
Próque concentu chelys, it tubarum
Clangor ad aures.
Cum tibi immundæ latices lacunæ
In caua fesso galea bibentur,
Súbque cogêris Ioue ferre duræ
Frigora noctis:
Cum relegati cupido soporis,
Atque speranti placidam quietem

Ingruent hostes, subitóque cingent
Agmine vallum.
Quàm velis pugnas adiisse nunquam,
Nec latus munisse tuum ense sæuo!
Quàm domum, at frustra, cupies perosus
Bella redire!
Est quidem belli studiíque præses
Ipsa Tritonis: sed enim libenter
Otium vsurpans, posita frequentat
Gorgone Athenas.
Antefert pugnæ Dea sæpe pacem,
Iurgio & rixæ requietem, oliua
Arguit pacis typus id Mineruæ
Nobilis arbor.

Ad Claudium Mãgonem Iuliodunen.

In comparandis mi nimis anxius
Videre Mango diuitiis, neque
Audire diuinos libenter
Veridici monitus magistri:
Ne sitis vnquam solliciti die
De crastino, inquit, sufficiat sua
Sed cura præsenti diei,
Anxietas & amara victus.
Nimirum abunde est diues & affluens,
Quem Patris almi larga benignitas
Cornu locupletat perenni,
AEthereis saturans saginis.
Auro micanti iam laquearia
Distincta, marmor iam parium tibi
Sordescet, affabréque quicquid
Artifici studio expolitur:
Postquam excolendum te mage sciueris,
Magísque adornandam esse tibi domum,
Cæleste quam numen frequentans

Insideat, vice templi & intret.
Hæc penicillo iustitiæ domus
Pingenda Claudi, mentis & integræ
Splendore puro luminanda,
Grata Deo sit vt ipsa sedes.
Hunc nempe cultum Rex superûm probat,
Has solum IESVS diuitias vocat,
AErugo quas nec perdat olim,
Nec caries tineæve rodant.
Talem flagranter nos opulentiam
Optemus, hæc & lucra salubria
Sectemur, hoc censu beatos
Nemo inopes homo reddet vnquam.

Ad seipsum.

Syrenum illecebris captus inanibus,
Vatum & melliflua vaniloquentia,
Ceu Circes biberis pocula noxia,
Indulges modò fabulis.
Indulges, oculos heu nec ad æthera
Sustollis, nec agis quæ placeant Deo,
Dauides veluti vaticinus sacra
Cælesti enucleans lyra.
Quid verbosa tibi proderit Ilias,
Pellacísve duplex cursus Vlyssei?
Quid regnum in Latium Anchisiadæ manu
Latos Dardaniæ Deos?
Vites quæ posuit mollis Horatius,
Lasciua & nimium Musa Propertii,
Tu Nasonem aliis & Cythereias
Prudens linque agedum faces.
Verba Euangelii sint tibi cantio
Amplectenda magis, CHRISTVS & optimus,
Qui Patris solio missus ab aureo
In terras hominem induit,

Aluo qui Mariæ virginis editus,
  Affixúsque cruci, morte vicaria
  Humani generis crimina sustulit,
  Et cælo asseruit pios.
Culto nec sileas carmine martyres,
  Argutâve chely, qui Dominum Ducem
  Sectati, accipiunt iure perennia
  Fusi præmia sanguinis.
Nimirum his studiis, his bone cantibus
  In doctas hominum peruenies manus,
  Sudorésque fauens respiciet tuos
  Alto CHRISTVS ab æthere.

Ad Gilermum Buccetellum Secretarium Regium Saffii Dominum.

Si versus tibi Buccetelle mittam,
Propter quos vadimonium relinquas,
Molles, dulciculos, venustulósque,
Ecquid præmii erit tuo Macrino?
Illum munere de suo ânne amabis,
Adiungésque gregi intimo tuorum?
Si noui bene te, tuas & aures,
Quas nil tersius eruditiúsque est,
Non emblemata sericásque vestes,
Non rubri niueos maris lapillos,
Aut pluris facies metalla Gryphum,
Quàm poemata florulenta vatum,
Et factos criticum modos ad vnguem.
Quidni? cum tibi profluente riuo,
Fontis Pegasæi Thalia custos
Sedarit cupidam sitim bibenti?
Nec sit carmina belliore rhythmo
Qui vernacula factitet poeta,
Siquando vacat hisce feriari?

Et defessum animum otio fouere
Miscenti tibi seriis iocosa
Per gratas operum remissiones?
Hæc aurem mihi vellicant subinde,
Vt versus tibi Buccetelle mittam,
Hoc est in mare aquam feram, quod aiunt.

Ad Georgium Armeniacum Ruthenorum Pontif. Regium apud Venetos Legatum.

Quis lyra mecum lepidóque versu
Lucis augustæ celebrem triumphum
Concinet vates, hedera reuinctus
Tempora pulla?
Quis preces diuúmque, hominúmque Regi
Debitas fundet pius hanc ad aram
Fronde adornatam mihi, suauiúmque
Flore rosarum?
Ecce iam mystæ niueis amicti
Carbasis templi loca sancta circum
Ordine incedunt, superósque festis
Cantibus orant.
Tu diem tantum celebres Georgi
Optime in primis, tibi cura nuper
Quando sacrorum data, & edocendæ
Munia plebis.
Tenia crines redimitus alba
Iam præi castis precibus sacerdos,
Iam superfusæ chorus expietur
Flumine lymphæ.
Voce certatim numerosa dulci
Christon authorem Dominúmque rerum

Inuocent Odæa, adyta & Sabæo
Thure vaporent.
Gratias nostrum tibi quisque soluit
CHRISTE supremi patris alma proles,
Supra opem humanam meritas licet sit
Promere laudes.
Gratias cuncti sedenim libenter
Soluimus, festas canimúsque laudes,
Sedibus summi quòd adusque terras
Lapsus Olympi
Gentis ob noxas hominem induisti,
Quódque syncera ex vtero puellæ
Prodiens annis teneris acerba
Multa tulisti.
Quòd pependisti cruce fixus alta,
Mortéque euicta rediuiuus auras
Has reuisisti domitor nigrantis
Factus Auerni.
Quòd remigrasti solium ad paternum,
Cælitum densa comitante turba,
Quem diem sacris colimus frequentes
Rite peractis.
Nunc throno gemmante sedens verendam
Patris ad dextram, imperiíque consors,
Cernis humanam placido benignus
Lumine gentem.
Et reos patrocinio tueris,
Patriæ clemens moderator iræ,
Asperant illum quoties tuorum erata clientum.
Scis enim quàm sit facilis ruina in
Peius humano generi, proinde
Alleuans lapsos, nocumenta præsens
Omnia pellis.
Te Dei summi bone CHRISTE prolem

Antelucanis veneramur horis.
Téque dum serus rubicunda tollit
Lumina vesper.

Ad Gelonidem de coniugis absentia conquerentem.

Ne posthac rogo ne Geloni plores,
Neu te iugibus eneces querelis,
Absens quòd nimium diu penates
Ex aula ad patrios redire cessem.
Iam fidem tibi liberabo pactam,
Id damno licet vtriusque fiat,
Annonæ neque caritas vetabit,
Qua late regio laborat istic,
Ad te quò properem minus Geloni.
Quin nec rem fuerit mihi lucellis
Tanti augere nouis peculiarem,
Et ditescere,& interesse lautis
Nostrorum procerum subinde mensis,
Vt te sustineam domi manere
Desertam,ægram animíque,flebilémque.
Tu tantum reduci mihi parato
Complexus dare,quos prius solebas
Succis nectareis inebriatos.
Addes millia multa basiorum
Sed mellitula,mollicella,pressa,
His absentia nostra subleuetur
Post tardam nimium reuersionem,
Sint solatia mensionis huius
Inuisæque moræ Geloni nobis.
Quam fraudi tibi ne fuisse dicas,
Vbi istuc semel iuero,cauebo:
Proin posthac rogo ne Geloni plores.

De lauru Germani Brixii poetæ & oratoris clariſs.

Tu laure fœlix, inter & arbores
Spectanda raras, ſiue quis æſtimet
Vmbrámque odoratáſque baccas,
Siue tui ſtudium coloni:
Qui primus inter millia ciuium
Authoritate ac diuitiis, ſua
Vnius excultam manu, te
Delicias vocat atque amores.
Quanuis ad Arcton conſita frigidam
Propter ſilentis flumina Sequanæ,
Auram reformides iniquam,
Duræ hyemis, Boreámque flantem:
Solers coloni ſic tamen anxii
Dextra allaborat, ne tibi qua gelu
Sit parte creſcenti moleſtum,
Neu pluuii noceant Decembres,
Vt te educatam vertice Delphico
Mitíque quiuis ſub Ioue iudicet,
Sic fronde ſublimes in auras
Perpetuo viridante ferris.
Sub te frequenter Mnemoſynes ſolent
Dyrce relicta ludere filiæ,
Mutare cyrrhea tuámque
Sæpe ſpecu Pataræus vmbram.
Leui ille plectro, nox vbi conticet,
Candétque iunctis Cynthia cornibus,
Ducente cum Nymphis choreas
Cypride, tangit ebur canorum.
Illius actus numine Brixius,
Idem ſacerdos & citharæ ſciens
Bacchatur, ac miranda ſeclis

Scripta parat meditans futuris.
Vtraque lingua doctus,& ingeni
Exercitati,seu libitum foro est
Limare non temnenda rauco,
Seu numeros cecinisse dulces.
Vt nemo dotes commemoret tuas
Hunc præter,æuo sat tamen ac super
Laudata notesces sequenti,
Atque hominum venies in ora.
Nec turba vatum non tibi cespitem
Lectæ dicatum sanguine victimæ
Tingétque,votiuásque ramis
Adiiciet tabulas onustis.

Ad Virginem matrẽm.

Diua regnatrix superûm,diserti
Cui pios versus soliti poetæ
Ferre,& argutis meritos honores
Reddere neruis:
Da mihi qualem numerosus olim
Pindarus vocem resono ore fudit,
Dum sacros ludos,pugilúmque fortes
Cantat agonas.
In tuam sit fas animare laudem
Fila gemmato ferienda plectro,
Fas & arcanas numeros canendi
Promere vires.
Nanque tu virgo pariter paréńsque
Virgines longe & superans parentes
Quæ fuere,& sunt, & erunt sequenti
Postea in æuo.

In parricidam qui Delphinum veneno sustulit.

Crudele est malè mortuis precari,
Et iam compositos ciere manes:

Efflata, ac ſimul vt ſoluta vita eſt.
Aſt illud facinus tamen patraſti
Funeſtiſſime parricida, tanto
Et te flagitio perinquinaſti,
Dum Regis ſobolem necas veneno
Inſontem penitùſque & immerentem:
Manſuetudinis vt modeſtiǽque
Fines tranſgredier pium ſit ipſos,
Et diras capiti tuo imprecari
Orcum apud ſine fine ſæuientes.
Nam quanquam (vt meritus) citis quadrigis
In diuerſa trahentibus nocentem,
Membratim laniatus interiſti:
Mitis nemo adeò tamen bonúſque
Aut dandæ veniæ paratus, huius
Qui noxæ grauitate ponderata,
Noxæ inquam horribilis nefariǽque,
Non tecum ilico perſeueret actum
Clementer nimis, atque diſſolute.
Quòd certus niſi & eruditus eſſem
Diuino ordine, prouidentiáque
Arcana, fieri orbe cuncta toto:
Sexcentos caput in tuum vibrarem,
Immite heu caput, horridos iambos,
Et te atrocibus vſque & vſque diris
Lethen perſequerer vel ad nigrantem,
Impuræ neque parceretur vmbræ,
Quando vno interimis tot interempto.

Ad Annam Monmorantium Regis Franciæ Archiœconomum.

Tu quoque es palmæ bone Monmoranti
Particeps huius, meritǽque laudis,

Primus(excepto modò Rege)nostra
Voce ferendus.
Regis vt par est genio referri
Prosperum euentum,auspiciis & eius,
Qui suos diuos sua præbuisset
Lilia Gallis:
Sic tuo ductu vigilique cura,
Militum qui dux fueras ab illo
Alter,hoc genti decus incruento
Marte paratum est.
Culta castrensis malè disciplina
Antè præfectis ducibúsque,damnum invexerat Francis,animarat acres
Acrius hostes.
Tu Numantinus velut ille quondam
Scipio,aut inter Numidas Metellus,
Legibus culpas abigis,reformans
Cuncta,seueris.
Omnium primum vigilanter instas,
Copiis iuges vti commeatus
Affluant nostris,neque rebus vllis
Castra laborent.
Mense confestim numerantur acto
Singulis nummi,& sua cuique merces,
Néve diuersos oriatur inter
Rixa cauetur.
Nomen augustum Domini Deíque
Siquis effræni violauit ausu,
Quis quid aut furto rapuit,repressus
Vindice pœna est.
Hac quidem factum ratione,vt omnes
Castra iurarent ea sanctiora
Cœtibus clausis monachûn eremo
Separe agentum.
Prouides cura tamen interim acri

Ne tuas capto labefactet auro
Proditor turmas, stipe neu Tribunos
Tentet emaci.
Sicque, subducens alimenta passim
Hostibus, septos premis vndecunque
Et fame & ferro, dare'que sint vt illi
Terga coacti.
Vera vin' audire libenter Anna?
Hactenus non sat (mihi crede) notus
An rogabatur regere hæc scienter
Agmina posses.
Te dies Regi facit hic secundum
Maximo, cunctísque aperit fuisses
Qui vir & quantus, tua fert & alto
Nomina cælo.
Talis hoc bello tua visa virtus,
Sit nefas vt iam dubitare posthac,
Comprimat de téque inimica victus
Murmura liuor.
Rege Francisco renouantur artes
Bellicæ, Martis studiúmque floret,
Et redit priscis sua rege eodem
Gloria Musis.
Tu quoque vt laudem ducis assecutus
Strenui leges reuocas & arma,
Sic faue doctis, placidóque vates
Respice vultu.
Carmine hi famam tibi prorogabunt,
Ore facundo benefacta dicent,
Nec sinent vllis tua clara labi
Stemmata seclis.

Ad Philippum Cosseium Cōstantiensem Pontificem Delphini magnum Eleæmona.

Pastor Cœnobii Iouiniani,
Quem Constantia præsulem veretur,
Delphinus colit vt pium parentem,
Doctorum chorus ambit vt patronum
Et Graio & Latio lepore cultum,
Vt te sæpius obsecras reuisam,
Accedámque celer tuas ad ædes,
Quæ toto patuere poste semper
Sectatoribus artium bonarum.
Nil certe magis ipse concupisco,
Has si per vacet occupationes,
Quæ me nocte tenent diéque vinctum
Iussu Principis, ob salis tributum
Cui nos præficimur. Sed interim dum
Expectamus idoneúmque tempus,
Momenta & magis expedita, sumes
Hos de laude tui modos Iouini.
Qui gemma & patriæ corona nostræ
Hymnis Pindaricis cani meretur,
Efferri & numeris modò his, modò illis.
Quæ cum encomia sanctitatis ergò
Diuo conueniant, tamen redundant
In natale solum eius, atque ciues,
In te Cœnobii Philippe patrem
Pastorémque bonum Iouiniani.

Ad Dominū IESVM CHRISTVM.

Rerum CHRISTE opifex optime maxime,
Summi æquæua patris qui sapientia
Cæli culmine ab alto
In terræ loca deuolas:

Aluum nec Mariæ Virginis integram
Fastidis, hominem assumere cogitans,
Nostræ & tegmine numen
Formæ abscondere destinans.
Si mundi ob maculas credo datum neci,
Effudisse tuúmque in cruce sanguinem,
Vt lustrata lauacro
Plebs vitam pia viueret
AEternam: ambrosiis pastáque eduliis,
Atque epota sacro nectare cælitum
Ferret laude perenni
Diuinam omnipotentiam.
Actis da veniam propitius meis,
Da quæ recta sequi, deterioráque
Euitare tenaci
Sancti propositi fide.
Fac Euangelii defluat vt tui
In mentes hominum Spiritus efficax
Expurgare quod obsit,
Nigrum in candida vertere.
Hinc hinc pestiferæ sint procul hæreses,
Tincta & tabifico dogmata toxico,
Neu fallaciter intret
Trux caulas lupus in tuas.
Doctrinæ pecudes campo agiographæ
Da diuina tuas gramina pascere,
Cælestíque sagina
Frugis gliscere mysticæ.

Ad Io. Bellaium Card. amplis.

Cum Sol Herculeum tenet Leonem,
Et multo aridulas perurit æstu
Herbas Sirius, atque hiulcat arua
Immenso rapidi caloris igne,
Si fortè irriguum soluta nubes

Imbrem fuderit hiſpidos in agros,
Marceſcens videas repente gramen
Vires ſumere priſtinas, aquiſque
Epotis nitido virere luxu.
Sic qui triſtitiis moleſtiiſque
Inuiſis prius obrutus iacebam,
Et vitam in tenebris miſer trahebam,
Præ deſyderio impotente veſtri,
Accepi ſimul ac tuas tabellas
Iucundiſſime mi Patrone dulci
Et ſolatia dulciora melle,
Quæs curam releuas clientis ægri:
Criſtas erigere ilico (quod aiunt)
Et mœſtum caput alleuare cœpi.
Nec viſa eſt tua vox minus valere,
Vox inquam tua me vocantis ad te
Succis Pæonis AEſculapiiſque,
Dia quorum ope Virbius reuixit.
Proin ſi dicere veriora veris,
Collatúmque velim referre munus,
Hoc vſurpem ego carmen eſt neceſſe,
Hoc læto mihi ſit frequens in ore,
Quod ſpiro, & valeo, tuum Patrone eſt.

In Antonium Læuam, cuius hortatu Delphinus veneno extinctus eſt.

Ecquis Antoni ſcelerata Læuæ
Auſa promenti mihi, det reuinctum
AEre pulmonem triplici, ſeueræ
Vocis & vſum?
Quippe nec Colchæ laniena matris,
Nec Thyeſtææ fera menſa cœnæ,
Quæque Ithym ignaro poſuit marito
Attis edendum:
Plus cothurnatis meruere chartis

Et graui dici Sophoclis boatu,
Quàm trucis Læuæ facinus, datúmque
Fraude venenum.
Hei quòd in tali mihi nunc piaclo
Debiti planctus, sat & apta desunt
Verba? quòd tantum mea ferre pondus
Barbitos horret?
Non enim inuoluat taciturna Lethe
Exitum indignum, miserósque casus:
Sed tua seri quoque lachrymarent
Morte nepotes
Innocens eheu iuuenis: superbo
Ilio priscis & abusque Teucris
Ducte, Francisci soboles potentis
Maxima natu.
Profuit quid te ditione tanta, &
Regiis natalibus exoriri?
Proximum hæredem quid & esse regni
Profuit ampli?
Quid iuuant candor, facilésque mores,
Floridum augustæ decus & iuuentæ?
Quid fauor quo te tua prosecuta est
Gallia semper?
Toxici cuncta hæc nihil obstiterunt
Quo minus tetro perimaris haustu,
Et cadas diri teneris in annis
Hostia Læuæ.
Téne crudeli iacuisse letho,
Fraude & impuri decuit latronis?
Téne speratum diadema Franci
Linquere regni?
Tu decus nuper patriæ ac tuorum,
Grata spes Regis genitoris idem,
Nunc dolor flagrans, & acerba iustæ
Causa querelæ.
Quam tibi Læua ô truculente pœnam

Imprecer? merces erit apta quænam
Noxio? quæ vel scelus expiabit
Vltio tantum?
Sisyphus saxo posito quiescat,
Nec rotæ Ixion agitetur orbe,
Expleant sæuæ laticum capaces
Belides vrnas:
Et sitim sedet fluuio propinquo
Tantalus, nec sint fugitiua poma:
Nec iecur rostro Tityi retundat
Vultur edaci:
Dummodo angorum cruciatuúmque
Quicquid in fundo est Barathri æstuoso
Ferre cogaris, vacet & tibi omnis
Eumenis vni.

Ad Vidonium Corniculam.

Iam Cornicula litigas tot annos,
Quot Rex Arsacidum potens Orodes,
Vel natos Priamus senex habebat.
Nec lis est tibi de domo vel agro,
Sed de panniculo togáque trita,
Iactura ídque rei peculiaris:
Quam non diminui atterí ve sentis
Vindictæ studio impotente flagrans.
Si de iudicio exitúque causæ
Signis non dubiis sit augurandum,
Dum das causidicis crumenimulgis,
Controuersáque vendicas, periclum est
Ne reddat dominum toga ipsa nudum,
Neu naulum omnia post adempta perdas,
Et te scommate competitor acri
Enummem feriant & aduocati.

Laudes Dei eſſe cõtinenter celebrãdas.

Singulis quòd Sol oritur diebus,
Non minor certe eſt oculis voluptas,
Quódque fulgenti toties reſurgit
Lumine ſemper.
Nec voluptatis minus eſſe debet
Mentibus caſtis animóque recto,
De Deo quod nos eadem frequenti
Voce loquamur.
Gratius quin hoc decet eſſe multo:
Solis emanat quoniam coruſci
Pulchritudo omnis, rutilúſque cæli à
Numine fulgor.
Eſt enim lucis Dominus capax fons,
Vnde deducti velut amne riui
Syderum erumpunt radii, ſolíque
Infima luſtrant.
Omnium primum eſt igitur tenendum,
Viribus totis ſtudiíſque agendum,
Noſtra diuino per vt imbuantur
Corda timore.
Qui timor ſolus ſtabilire mentem
Poſſit, inuictos animíque ſenſus
Dæmonum contra laqueos, & ægræ incommoda vitæ.
Cantico iugi memoranda laudum
Sunt Dei paſſim benefacta veri,
Eius haud noſtras pia laſſet vnquam
Mentio voces.
Illius fauſtos obitus putarim
Hora quem extremi nec opina fati
Inuenit ſummi Domini occupatum
Laudibus almis.
Non eum flammæ metus æſtuoſæ

Acer inuadet, neque pertimeſcet
Alloqui infeſtos Lemures in atræ
Limine portæ.

Ad Gelonidem coniugem.

Per terras vagus & per alta ponti
Annorum hebdomadas duas peregi,
Mellitiſſima mi Geloni rerum.
Nec vitæ requiem laborioſæ
Tot ſudoribus inuenire quiui,
Dum fauſta face tu iugata mecum
Hæreres thalamo, auiúmque vatem
Inſtillans Charites venuſtiores
Caſti & gaudia lectuli propinans,
Nexu plus quàm adamantino illigares.
Nunc omnis meus acquieuit ardor,
Alas perdidit & ſuas Cupido,
Nec iam ex hac libet euolare ſede.
Omnes vt mihi ſordeant puellæ
Præ te, omnes mihi lacteæ maritæ.
Si fallo, peream ſtatim Geloni,
Et ſis (quo grauius moleſtiáſque
Poſſit eſſe tuo nihil marito)
Infenſa vſque meo atque iniqua amori.
Tu gratum ergo meæ otium Thaliæ,
Vitæ tu requies laborioſæ, &
Tantarum vnica præmium viarum
Mellitiſſima mi Geloni rerum.

De diuo Dionyſio. Ad Carolum Franciſci Regis filium Aureliæ ducem.

Hæc ritè ſacra eſt lux Dionyſio,
Vt quæ peremptum ſedibus intulit
O Carle ſtellatis Olympi,

Ordinibus superúmque iunxit.
Quæ terra talem quæritur edidit
Doctorem, Athenæ hinc quem sibi vendicant,
Nilotis hinc quem gens alumnum,
Iactat item bimaris Corinthus.
Sed ducta libris ex agiographis,
Atque Acta Lucæ veridici sequar,
Qui tradit illustratum Athenis
Coniuge cum Damari domóque.
Nam Paulus illic dogmata seminat
Dum sancta CHRISTI Cecropidas docens,
Sermone te flexit sequacem
O Dionysi, & aqua piauit.
In regna dein te Gallica Romulis
Clemens ab oris misit episcopus,
Transire & in cælum minantes
Præpropero pede suasit Alpes.
Non fulsit illo tempore sericis
Mystes amictus vestibus, arduum
Instratus ostro nec rubenti
Mulus herum tulit aurifrænis.
Dum vana lucorum Orgia destruis,
Gaudere CHRISTVM, & sanguine pernegas
Constanter humano, ferísque
Vera monens maledicis aris,
Qua flexuosus Sequana gurgite
Vrbem bifurco Parisiam secat,
Ceruice mactaris recisa
Cum sociis operum duobus.
At fert in vlnis ipse suum caput
A colle summo truncus inambulans
In vallis effusam propinquæ
Planitiem, riguósque campos.
Pòst insecuto tempore mysticis
Imbuta CHRISTI Gallia ritibus

Te amplexa patronum, dedítque
Rex celebrem Dagobertus ædem.
Quæ sumptuoso condita marmore,
Et Cœnobitis culta gregalibus,
Fulgente berillis pheretro
Vestra tenet reuerenter ossa.
Templi superbo sub medii tholo
Regum videre est busta faberrima,
Quæis iure Mausoli sepulchrum
Pyramides Phariæque cedant.
AEdis vetustæ magnificentiam
Frustra ipse coner tam leuibus modis,
Ditésque thesauros referre
Cœnobii bene prædiati.
Atqui efferendæ pronius immorer
Sedi, quòd illic sunt sita corpora
Dux Carle maiorum tuorum,
Morte quibus sociere sera.

Ad Margaritam Valesiam Francisci Regis filiam.

Regis filia gratiosa Franci,
Nomen candida cui celebre bacca
Eoi maris indidit merenti,
Vt candorem animi tui notaret,
Morum munera singularisimque,
Quæis virguncula regia enitescis.
Res quænam obsecro, quǽve caussa mouit
Vt me rusticulum & rudem poetam
Tanto prosequier velis fauore?
Adscribásque libens tuorum in albo
(Est qui summus honor) domesticorum,
Ac procliuiter audias loquentem?
An quòd me esse aliquem tui parentis

Iussit gratia liberalitásque,
Musas munificè meásque fouit,
Tu vestigia persecuta patris
Quos charos habet aduocas,& ornas,
Tanti & carmina ducis ipsa vatum?
Vt nunquam potis est latere flamma
Quam æratis Pharos euomit lucernis,
Vrbs nec vertice structa montis alto
Vicinis nequit à locis videri:
Sic Heroica nobilísque virtus
Non erumpere non potest,& in se
Admirantia vertere omnium ora.
Nec fas Rege satam auréamque prolem
Trita incedere semita popelli,
Fuso lædere vel manus seuero
Læues, more inopum pedissequarum.
Perge ô regia perge Nympha quæso,
Altorum patefac tenore morum
Quo sis sanguine procreata & ortu.

Ad illustriss. Principem Cardinalem Lotharingum.

Stirps Regum venerabilis,
Quem & Parthenope subdita paruit,
Et tellus Capuæ ferax,
Et procurua maris littora Brutii,
Lucani, Calabri, Appuli,
Necnon Trinacriæ fertilis oppida,
Tén' caduciferum impotens,
Et tot laurigeris toruus adoreis
Cæsar despicit Austrius?
Atque æquis renuit conditionibus
Cum Franco icere fœdera
Te oratore? nefas forsitan ah nefas

Iam trux corde ſub intimo
Voluebat, miſeri dira ſatellitis
Quod mox perficeret manus,
Propinans tacitis toxica fraudibus
Heu Regis ſoboli aureæ
Regem ipſum nequeat ſi modò perdere.
Spe illa propterea tumens
Aulam ad Liligeram regnáque Gallica,
Te ſpretum regredi iubet
Re infecta. venient tempora, ſed breui,
Cum ſero facinus gemet,
Atque iciſſe volet te auſpice fœdera.

Ad Gul. Mainum Belli loci Antiſtitem de Diuo Io. Baptiſta.

Verbum Maine eſt nobile comici
Quo veritatem matrem odii refert:
Hanc certe Ioannis beati
Fata probant truculenta vocem.
Quippe ille regem dum pius impium
Sermone ſancto cogit in ordinem,
Carpítque, quòd fratris Philippi
Rapta ab eo teneatur vxor:
Furore vecors exitiabili
Tetro Prophetam carcere claudier
Præcepit Herodes, & arctis
Ilico compedibus ligari.
Primariis tum fortè viris ſui
Regni vocatis, mos vti Principum,
Natalis ob feſtum diei
Rex epulum celebre apparabat.
Herodias (nam id nomen adulteræ)
Ira in Prophetam vindice percita,
Molita & illius ruinam,

Mille dolos animo volutat,
Quo tolleretur de medio innocens,
Linguæque ferret præmia liberæ
Amara, censuræque, magni
Quam nequeant tolerare Reges.
Natam subornat: quæ iuueniliter
Progressa cœtus in medios, placet
Lasciua saltatu impudico,
Exhilarans proceres choreis.
Pompa puellæ præcipue pater
Lætatus illa, mollibus & iocis,
Se iure iurando daturum
Quicquid ea expeteret, recepit.
Inducta matris ludia vocibus,
Vatis sacrati postulat heu caput,
Disco quod actutum recisum
Ingeritur medio videndum.
Quàm vilis ipsis, ô Superûm parens,
Est immerentum principibus cruor!
Colore quàm paruo necantur
Sæpe pii, leuibúsque causis!
Mortalium res sed bene iudice
Quòd ponderantur te Deus optimo
Post funus, albentes ab hœdis;
Quòd dirimis piceis & agnos.

Ad Prasocrenidem Nymphã Nænia de morte Helenes & Honorati liberorũ.

Quid mihi festa Prasocrenĩ luce
Arborum nigris operanti in vmbris
Cespite extructam tibi dedicasse
Profuit aram?
Quídve odoratas adolesse messes
Thuris Eoi tibi in æde sacra,

Et meri plenam pateram obtulisse,&
Florea serta,
Ipsa si noto malè amica vati,
Vertis in damnum tibi facta sacra,
Et meas surda lachrymantis audis
Aure querelas?
Ergo Honoratum mea quem Gelonis
Altero partu ediderat,tibíque
Miserat credens teneræ sub ipso
Limine vitæ,
Tollis infantem è medio? rapáxque
Matris à dulci gremio reuellis?
Illa ploratu nemora,antra,valles
Replet inani?
Dalmatum flauo similes metallo
Vnguibus sæuis lacerat capillos?
Dicit in Parcas & acerba quicquid
Suggerit ira?
Immemor nostræ nimium Camœnæ,
Hac eam mercede remunerata es,
Quæ tuas nuper cecinit fluenta ad
Limpida tedas?
Quippe me lentum memini,dum aquosis
Fontium ripis sedeo tuorum,
Indiges magno memorare vt actus
Launus amore
In suos tete thalamos volentem
Naidum læto comitante cœtu
Duxerit,carmen modulante agresti
Pane cicuta.
Syderum cursu celeri fluebat
Mensis à teda decimus iugali,
Cum paludosi Cleonysan edis
Margine Diuæ.
Inter æquæuas Cleonysa Nymphas

Crine præfulſit roſeóque vultu,
Vitium Bacchus cui regna & albas
Credidit vuas.
Gnoſiæ vxori dedit & miniſtram,
Vt comæ legem ad ſpeculum, vagíſque
Poneret cirris, premerétque viuo
Colla ſmaragdo.
Hæc ſedens ripa viridi canebam
Ad tuos amnes Dea, cum repentè
Vox mihi nati morientis ipſas
Perculit aures.
Quis furor, quæ vel rabies adegit,
Siquis aut Diuos quoque liuor vrit,
Vt mea immites raperent auaro
Pignora fato?
Coniugis primam ſobolem pudicæ
Menſibus vix dum tribus euolutis
Antè feſtinans Helenen nigro mors
Merſerat Orco,
Ore quæ pulchro poterat Lacenam
Et nurus priſcas ſuperare Graiûm,
Editæ in lucem data ſi fuiſſet
Longior ætas.
Liberos ſexus vtriuſque Parca,
Hos mihi inuidit Praſocreni tecum,
De beatorum numero vnus eſſem
Ne ipſe parentum.
Interim dum flet ſtupefacta mater,
Dum ſuis longum dolet orba gnatis,
Verti & in ſaxum Niobes Deorum
Numine poſcit:
Liberûm affixus tumulis meorum,
Euocem manes teneros odoro
Melle, nec fuſi mihi bina deſint
Cymbia lactis.
Ne precor dulces animæ ſilentum,

Elysi tanti faciatis vmbram,
Neu nemus sacrum, variisque picta
Floribus arua:
Patris vt mœsti lachrymas negetis
Visere interdum, ac releuare curas,
Colla & amplecti, placidisque mecum
Ludere somnis.

Ad Io. Bellaium Cardinalem amplis.

Bifrons Iane pater mentis acumine
Qui subtili, animi & lumine lynceo
Tum præsentia cernis
Tum ventura sagaciter:
Fulgentem vt petasum promeruit tua
Virtus, & Latiæ tegmina purpuræ,
Nec qui Paulus habenas
Vrbis Romuleæ regit,
Doctrinam indecorem sustinuit tuam:
Quæcunque at potuit præmia contulit,
Nuper sponte cooptans
Te in patrum ostriferum chorum:
Clarus Liligero sic diademate
Princeps subiicitur Gallia cui triplex,
Qui sunt quique fuere
Regum maximus omnium:
Constantis fidei tot data pignora
Inuictique animi robora non tulit
Ceu neglecta iacere
In Lethes piceo situ.
Vrbem metropolim sed tibi credidit
Frænandam, vt'que fores murus aheneus
Contra hostilia tela,
Flandrique agminis impetus.
Nulli tanta tui est hactenus ordinis
Res commissa viro, sed fuerat Ducum

Quorum ſtrenua virtus,
Regum aut arcta propinquitas.
At cum ſis celebri clarus origine,
Factis magnanimos & ſuperes auos,
Qui pro aríſque focíſque
Certauere viriliter:
Nil antiquius & ſit tibi patria,
Nil Regis genio charius optimi,
Menti infixa tuǽque
Prorſus lilia inhæreant:
Quid te his Rex dubitet tollere honoribus?
Regni & præcipuis præficere vrbibus,
Vitæ iura necíſque
In cunctos tibi conferens?
Hæc prouincia vbi credita contigit,
Moles imperiíque intima Francici,
Plus regno & patriæ, quàm
Bellai tibi præſtitum eſt.

Ad Deum pro victoria.

Rex exercituum, Deus deorum,
Qui per aligeros tuos miniſtros
Terrarum varios ſtatus gubernas:
Hos nunc Marte premens periculoſo,
Hos pacis placida fouens quiete,
Prout viſum tibi cuncta iure agenti.
Qui vires animúmque contuliſti
Dauidæ puero, vt vibrante funda
Inermis licet, & rudis duelli,
Vaſtum Goliaden necaret audax,
Ictum ſterneret & patente campo.
Cauſa ad prælia ſi mouemur æqua,
Iuſte hanc militiámque militamus,
Ad cædes hominum feras coacti,
Primum ſuppliciter rogamus iſtud

Hostiles animos vti reflectas
Ad pacis studium, remolliásque:
Ne fuso rubeat cruore tellus
Ablutorum aquulæ salubrioris
Sancta aspergine, lustricóque tinctu:
Terror Panicus aut repentè cogat
Moliri attonitos fugam, & latebras
Passim quærere. cedat incruenta
Aut victoria quas tibi placebit,
Et quos vincere iudicabis æquum,
Causam ob CHRISTE tibi probatiorem,
Finito vt cito, te regente, bello,
Sopitísque odiis vtrinque, grates
Soluamus tibi vocibus sonoris,
Victorésque Epinicion canamus.

Gratulatio in hostium fuga, sumpta ex Dauide.

A nisi nobis Dominus stetisset,
Nunc dicant Franci, nisi & affuisset,
Cum ferox in nos rabido tumultu
Surgeret hostis,
Nos quidem sæuo propè dente viuos
Turba glutissent inimica sontum,
Cum flagrauisset furibundus in nos
Ardor eorum.
Tunc inundasset miseros aquarum
Alta vis, torrens animámque nostram
Amne transisset super incitato,
Omnia mergens.
Gratiæ CHRISTO, bonitate cuius
Non dati in prædam sumus ac rapinam
Hisce qui nostros iugulos minaci
Dente petebant.
Ecce venantum è laqueo perinde ac

Paſſer, erepta eſt anima ecce noſtra,
Eſt'que contritus laqueus, trucémque e-
uaſimus hoſtem.
Nomine eſt robur Domini omne noſtrum,
Pérque lætantes agitamus illum
Qui mare & terram & rutili creauit
Sydera cæli.

Ad Petr. Vinaium Iuliodunen.

Hærens tenaci glutine charitas
Qua fœderamur firmiter inuicem
Iucunde Vinai, ſuaſit
Vocibus his vti te monerem,
Vt vana ſectans gaudia corporis,
Mundíque fumis luſus inanibus
Ne vara rectis anteponas,
Néve tuo iuguleris enſe,
Poſtquam iuuentæ ver breue floridæ
Per lenta ſegnis triueris otia,
Regni Dionæi ſatelles,
Carnis & illecebris ſubactus,
AEuum neceſſe eſt deterius ſequi,
Morbíſque tandem languida triſtibus
Membra inquietari, & pudendæ
Ferre ſenem mala damna vitæ.
Hæc parua rere incommoda forſitan.
Reddenda quid cum pòſt ratio tibi
De rebus ad ſummum antelapſis
Iudicis ætherei tribunal?
Gulæ voluptas, Cypris, inertia
Quæ blandiuntur nunc tibi ſuauiter,
In te tum adunatis ferentur
Viribus, inſiliéntque contra.
Ah ne tyrannis præda rapacibus
Dedaris Orci! ne vrna nouiſſima

Vltoris æterni cremandum
Te miserum rapido igne damnet!
Hæc à propinquis, hæc ab auunculis
Si dicerentur, mox resipisceres
Fortasse, nec vitæ peractæ
Propositum indocilis probares.
Ad mundi honores ii modò te vocant,
Atque ampliandi dant reditus viam,
Vitare vt hortantes Charybdim
Præcipitent freta in atra Scyllæ.
Audire nostros si monitus velis,
Exuscitantis téque salubriter
Si pondus in verbis sit vllum
Municipis veterísque amici,
Tolles in altum lumina, cogitans
Quo sit meandum post nigra funera,
Nam fine diuerso, salutis
Arcta via est, via lata Ditis.
Castris memento Regis Olympici
Quem mater aluo virginea tulit
Te militantem disciplinæ
Suaue iugum subiisse sanctæ,
Qua luce nudum lustrica lotio
Vitæ futuræ viuificus typus
Tinxit salutari liquore,
Et maculas aboleuit omnes:
Renuntiasti tartareo Duci
Eiúsque pompis exitialibus:
Constans & inuictus manésne,
Polliciti & memor vsque tanti?
Antehac malignis si Satanæ dolis
Partes migrasti transfuga in hosticas,
Ruptor sacramenti prioris,
Militiæ & violator almæ:
AEterna ne mors te miserum voret,

Neu sis leonum præda frementium,
Te protinus castris ab illis
Eximito, atque pedem referto:
Ceu cum viator tramite in herbido
Incautus anguem pressit humi ferum,
Pallescit extemplò, pedémque
Exanimis reprimit trementem.
Actæ iuuentæ pœniteat, notas
Densis priores ablue lachrymis,
Antè & quod exultans patrasti
Cordolio gemitúque dele.
Nec te tuorum vox malè sobria
Ad mundi honores lucráque noxia
Traducat auersum relictis
Iustificæ studiis opellæ.
Sublatus ô si culmen in arduum
Montis supini, de specula queas
Rerum edita infra te iacentum
Tam varias facies videre.
Tumultuantis si populi vago
Confusa possis omnia turbine
Spectare, si motus procellis
Persimiles Maleæ æstuosis:
Tum perditi orbis te miseresceret,
Et mente grates CHRISTO ageres pia,
Quòd te ipse propenso fauore
Eripuisset ab iis tenebris:
Quòd luce cælesti intima pectoris
Illuminasset se insinuans tui,
Semosset à mundíque fæce,
Te misera sibi consecratum.
Formidolosis septa latronibus
Frondosa syluarum auia cerneres,
Obsessa pyratis iniquis
Veliuoli freta lata Nerei.

Depræliantes sanguine mutuo
  Accersere vrbes exitium sibi,
  Horrore castrorum cruento
  Bella mouere trucem Gradiuum.
Orbem cruoris fluctibus allui,
  Stagnare campos cæde hominum impia,
  Cum more sit fratrem recepto
  Plausibilis iugulasse virtus.
Heu cæca veri pectora gentium!
  Cum singuli admittunt homicidium,
  Est crimen:at laude efferemus
  Publicitus quoties geretur.
Impunitatem flagitiis parat
  Vitæ innocentis non ratio quidem,
  At(quod sit omnino stupendum)
  Seuitiæ fera magnitudo.
Vt nuper oris Cæsar ab Italis
  Regni ampliandi cum cupidus,neque
  Contentus hæredes auita
  Insubria spoliasse Francos:
Multo pauentem milite Galliam
  Oppleuit,& nunc Massiliæ imimnet,
  Affinitatis iure prorsum
  Posthabito,fideíque pactæ.
Hæc dum geruntur, regia toxico est
  Sublata proles,cui diademata
  Cessura post mortem parentis,
  Liligeri soliûmque regni.
Fleuere raptum mœsta Druentia,
  Moléſque Turni nomine nobilis:
  Fleuere certatim retuso
  Lenis Arar,Rhodanúsque cornu.
Audita ab imis vox quoque fluctibus
  Fatum ominantis flebile fluminis
  (Quòd causa Delphino fuisses

Exitii)tibi Carle Cæſar.
Vtcunque ſeſe res habet,haud poteſt
Iniurioſum te eſſe negarier
Galliſque,Franciſcóque Regi,
Cum violens aliena raptes.
Si fortè vires deſpicis hoſtium,
Cinctúſque condenſo agmine militum
Audacter hos illos laceſſis,
Oppoſita & facis arma nauci:
Speres at alto vindicem ab æthere,
Atque affuturum iudicii diem
Quo præmia æquus reddet vni
Pro meritis ſua cuique CHRISTVS.

Ad Triſtanum Portium Iuliodunen.

Iam mihi in votis fuit inde Porti
Hoc ab exactæ ſpatiis iuuentæ,
Hoc & à CHRISTO prece ſingulari,
Sæpe petiui:
Eſſet vt paruus mihi ſaltem agellus,
Annua qui me modò fruge poſſet
Paſcere,& tectum breue,amœnus hortus,
Iugis aquæ fons:
Et parum ſyluæ ſuper his ad vſum
Ac voluptatem,quoties rediret
Frigus,incedénſque vago leuarem
Tædia paſſu.
Hæc Dei dono mihi contigerunt
Omnia vbertim,& potiora multo,
Improbus dici vt merear,quid hinc ſi
Amplius optem.
Proinde præſenti(modica illa quanuis)
Sorte contentus Superos adoro,
Vt mihi ſano propria hæc benigni
Munera faxint.
Vtque fatales ſtudioſus annos

Legis æternæ peragam, viæque
Spiritum quæ morte obita corusco
Ducat Olympo.
Defluæ sed dum breuis hora vitæ
Ducitur, princeps mihi cura sunto
Res sacræ, libri, ingenuis agenda
Otia Musis.
De die potent medio licebit,
Regio affectent epulas paratu,
Quæis Deus venter dapibúsque mensa
Prodiga lectis.
Massicum hic auro bibat, ille gemma,
Vincat & cœnis Salios opimis,
Hic toro ostrino iaceátque plumis
Sardanapali:
Non tamen vitæ facient vt huius
Persequi formam mihi sit molestum,
Aut putem luxu fugiente quenquam
Esse beatum.
Qui timent omnes Dominum beati,
Et fides cordi quibus orthodoxa est,
Pertinax æqui studium, atque egenos
Cura iuuandi.
Quin nec infœlix status est eorum
Sorte qui rerum mediocri agentes,
In sacris vitam per honesta ducunt
Otia libris.

De fuga Cæsaris & victoria Francisci Regis ad Aquas Sextias.

Solennia ecquis vatum epinicia
Cantabit alto Cælicolûm patri,
Qui tale Francisco trophæum
De spoliis Caroli excitauit?

Late patentis viribus imperi
Magnis tumefcens Cæfar,& ebrius
Fauore Fortunæ,quod effet
Collibitum nihil huic negantiş:
Exercitu aufus vix numerabili eft
Intrare fines maxime Rex tuos,
Funefta regno interminatus
Excidia,& miferas ruinas.
Ad Sextias hinc caftra locans Aquas
Sedit,locutus fanda nefandáque
In te,tuáfque vrbes,propè ipfos
Terrificans Superos in armis:
Non fe exiturum Galla ab humo prius,
Quàm reddidiffet tete hominum vltimum,
Pauperrimum & te Rex tuorum
Luctifico procerum duello:
Nec additurum funeribus modum,
Mucrone donec vindice Galliam
Vaftaffet omnem,liliúmque
Implacido fecuiffet vngui.
Hæc tum impotentis verba minantia
Audita paffim Cæfaris:hoc fuæ
Pacto ille germanæ maritum
Tractet,& nifi CHRISTVS obftet:
Qui fede ab alta flammiferi ætheris
Elata cernens pectora fontium,
Illa ipfa fregítque,& tremendo
Iudicio tumidum repreffit.
Non hæc tuarum(ne temerè arroges
Rex forte fummi quæ modò funt Dei),
Non hæc facultatum tuarum,
Nanque opifex potior peregit.
Victoriam hanc fed non tibi vendicas,
Soli Tonanti debita nec rapis,
Quin pronus obftipóque adoras

Vertice numen, agísque grates.
Votiua CHRISTO carmina in ædibus
Sacris canuntur, talia qui dedit,
Nec passus orantem superbi
Ore teri rabido leonis.
Hostilis aruis fusa acies iacet,
Et decolori littora sanguine
Stagnant, fuga incerta per æquor
Consuluit Carolus saluti.
Sed dum fugaci quæritur hæc salus
Terrore, labem Cæsar eam sibi
Contraxit, vndis belluosi
Quam lauere haud valeat profundi.

Ad Regẽ de Delphini filii eius morte.

Quid Rex maxime, rex supreme regum
Amissum quereris subinde natum,
Extinctúmque truci gemis veneno?
Non est mortuus ille ceu putasti:
Mortali modò corpore at relicto,
Ipsis cum superis agit superstes,
Stellis additus emicátque claris,
Et fulgore suo polum serenat
Inter sydera luminosiora.
Non credis mihi? téque rere falli?
Altum tolle oculos tuos ad axem,
Delphinum in mediis videbis astris.

De victoria Frãcisci Regis apud Aquas Sextias contra Car. Cæsarem.

Si quanta mentis lætitia est meæ,
Tanto feratur mens eadem impetu
Ad clara Francisci trophæa

Vincat Macrinum non lyra Daunia,
Quanuis Camœnis dulcibus explicet
Victoris Augusti duellum
Actiacum, Phariósque fractos.
Prona huc voluntas est satis ac super,
Ardore anhelo pectus & æstuat
Te summe Rex regum canendi, &
Hoste tuam fugiente laurum.
Duntaxat hoc mi sed dolet anxio,
Hæc gestientem res habet & malè,
Vires voluntati quòd ipsæ
Esse pares nequeunt auenti.
At danda ventis lintea flantibus,
Parua & secandum ingens pelagus rate,
Aura modò aspires ferenti
Syderibus melior Laconum.
Turmis superbus Cæsar Ibericis,
Germanicarum vsque cohortium
Iam prædo spe effræni vorarat
Regna tuæ ditionis ampla.
Nanque antelapsi temporis ebrius
Fœlicitate, & cuncta sibi putans
Cessura præsenti, tetendit
Massiliam prope Aquásque Sextii.
Audita vox est à malè sobrio,
Cladem minatus qua tibi lugubrem,
Mensem ante iurauit peractum
Imperio fore vti careres.
Risere vanas Cælicolæ minas,
Inuisæ & vltrix Diua superbiæ,
Cui cura frænare impotentis
Vota animi, nimiósque fastus.
Nam territabat qui prius æthera
Armis, Gigantum more ferociens,
Cum mole freti brachiísque

Montibus impoſuere montes:
Ictus Tonantis fulmine ceu graui
Mox ſe recepit degeneri fuga,
Lucémque vitalem peroſus,
Quæſiit à pedibus ſalutem.
Huc turmæ & illuc ſemianimes eunt
Inſtante Galli robore militis,
Qui ſtrage cæſorum cruenta
Fœdat iter, Ligurúmque rupes.
Dux interim expes littore commodam
Nactus phaſelum, deſerit agmina
Palantia, accitíſque fidis
Clàm latebras volat ad propinquas.
Portu fugaces ora Liguſtica
Excepit arcto, fouit & indigos,
Fletu eiulantes non virili
Et lachrymis ſua fata fuſis.
Dic Carle Cæſar, dic modò regibus
Timende magnis, qui furialibus
Auſis minabaris ruinam
Pariſiis, ſolióque Franco:
Annon fuiſſet ſplendidius tibi,
Deſyderandum annon mage millies,
Fudiſſe pugnando ſub armis
Claram animam, & cecidiſſe telo:
Exercitu quàm ſic malè prodito
Fugiſſe paruo nauigio oppidum,
Nudúmque inermémque, ad propinquum,
Et miſeræ timuiſſe vitæ?
Caſus priores nil queror amplius,
Iam fœnore amplo reſtituit dies
Hic quicquid amiſſum fuiſſet,
Poſt nebulas redit & ſerenum.

Sit dux vter maior, sciẽnsque
Tũne magis Carolũsve Martis.
Huiusce certe est omne tuum decus
Palmæ incruentæ, qui rationibus
His ambiisti hostem coactum, indagine disposita tuorum:
Qui victum eidem & pabula subtrahens
Necessitatis compulerísque eò,
Conflictu vt absque vllo haud negaret
Se domitum, fugerétque furtim.
O gloriosæ gaudia adoreæ,
Cantanda festis ô noua versibus
Trophæa, doctorũmque vatum
Pieriis celebranda Musis!
Te Cantabri non antè domabiles
Mirantur acrem, te Ligurum manus
Rex magne formidátque & armis
Compositis veniam precatur.
Tu commeatu, præsidio, & tuis
Picarda firmans oppida copiis,
Contundis eneruásque sæuum
Atrebatem, Batauum, Eburonem.
Te fraudulento natio Cæsari
Germana præfert, te Dominum Insuber
Agnoscit, ipsi te Sicani
Crebra vocant, cupiũntque Regem.

Hymnorum sexti libri finis.

Petri Galádii viri vtriusque linguæ doctissimi Elegidium ad Salmonium Macrinum.

Primus ad Ausonias numerosus Horatius aures
Deduxit lyricis carmina culta modis.
Primus ad armisonos diuino munere Gallos
Salmoni hæc eadem Pindarica arte feres.
Quæ quid adhuc limas, decimûmque recudis in annum
Iampridem leui pumice tersa nimis?
Cur tenebris & nocte premis Quinquatria sacræ
Promeritum, & summum Pallados arcis, opus?
Cur cedro digna inuoluis caligine cæca,
Ne rutili radios Solis & astra petant?
Pande sinus ventis, nec tu obluctante Minerua
Sacra per inuidiam carcere clausa preme,
Nec dubita quin sint cunctis placitura modestis:
Quin age Musophilis tam fore grata puta,
Formosæ quàm adamata fuit præsentia Thisbes
Pyramo, & obiecto pariete colloquia.
Quàm grate Cytherea suum suscepit Adonim,
Quámque natatorem Sestia Nympha suum.
Adde quòd eximio Bellaii nomine fulta,
Liuoris facient verba canina pili.
Bellaii, qui purpureo præsignis amictu,
Laurigeros donis prouocat vsque choros.
Quocirca auspiciis huius deductus & aura,
Cæruleos fluctus & maria alta seca.

Cornelii Musii Delphi poetæ Batavi tetrastichon.

Vt nisi Mæonidæ prohiberent carmina vatis,
  Prima essent magni carmina Virgilii:
Sic ni esset Quintus Lyricorum gloria Flaccus,
  Sit Macrine tuæ gloria prima lyræ.

Aliud eiusdem.

Est qui vel Lyricos tantum, vel scribit Iambos,
  Aut versus Elegos, Hexametrósve facit.
Salmoni (quo non maior meliórque poeta est)
  Omnigenos numeros ore decente canis.

Aliud eiusdem.

Inuenias multos Heroo carmine claros,
  Sed tantum Lyricos est reperire duos.
Alter Macrinus censetur, Horatius alter,
  Iste sui secli primus, & ille sui.

Bart. Latomus de Salmonio Macrino.

Hinc postquam niueo victurus in alite Flaccus
  Aurea cygnæum fudit in astra melos:
Excessit terris, sed plectra lyrámque reliquit
  Macrino, decet hunc carminis alter honos.
Omnis & Aonidum chorus annuit, annuit ipse
  Phœbus, & hoc tantum Gallia munus habes.

EXCVDEBAT ROB. STEPHANVS
PARISIIS, ANN. M. D. XXXVII.
VII. IDVS FEBR.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Facie	Linea	
21	Nunc	clausam,
21	Te querulo	paritura
22	Quæ	fuerunt
24	Roma	est
25	Orci	triumphatísque
25	Septus	nitenti
26	An	luctæ
31	Gratia	inungat.
35	In	Charis
37	Questibus,	functum mulier maritum
43	Liuidos	media
46	Quos	numine credimus
48	Angier	si te,
70	Indulgenter	puertiæ
84	Tutere	trilicíque
128	Non	passus
165	Mortis	seueræ
167	Ardua	inque
175	Vernísque	inseri,
175	In	crebriter
232	Tractet,	ei nisi

